# CATHOLICA.

# DE LIBRORVM CA-
# NONICORVM NVMERO,

EORVNDEMQVE AVTHORITATE, ET legitima interpretatione explicatio: Año domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſima ſecundo in inclyta Academia Ingolſtadiana, ad publicam diſputationem propoſita.

II. TIMOTH. III.

Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo DEI, ad omne opus bonum inſtructus.

AVGVSTINVS.

Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret authoritas,&c. Contra ep. Manich.

[illegible]

INGOLSTADII
*Ex Typographia VVeiſſenhorniana.*
Anno M. D. LXXII.

Digitized by Google

# REVERENDO ADMODVM, AC MAGNIFICO VIRO, DOMINO Chriſtophoro à Lamberg, Baroni libero, nec non Eccleſiæ Salisburgenſis præpoſito &c. Domino & Mecœnati ſuo omni fide, & obſeruantia perpetuò colendo.

INTER multa, eaq; præclara, Reuerende ac Magnifice *Domine Præpoſite, Mecœnas ac patrone meritiſsime, quæ R. & M. D. T. ad Catholicæ fidei inſtaurationem, ac propagationem piè, ac munificè impendit, id nequaquam in poſtremis habendum exiſtimo, quod eorum ſtudia, quibus anguſta domi res eſt, magno ſtudio, ac inſigni munificentia iuuare, ac promouere ſubindè ſolcat. Nec enim contenta eſt complures eius generis homines in hoc oppido perbenignè fouere, fotosq;, ac religioſe inſtitutos ad Eccleſiaſticas functiones euehere: uerum egregiæ liberalitatis ſuæ ſinus latiùs diffundens, non paucos etiam, qui Theologiæ, & alijs grauioribus ſtudijs dent operam, in Catholocis Academijs alere conſueuit.* **Vtinam Cathedralium Eccleſiarum Rectoribus hic ſit animus, hæc mens, hoc in promouendis bonis artibus ſtudium: profectò breui longè aliam Eccleſiarum Germanicarum faciem, quàm modò, contemplaremur. Verum hæc optare licet, uidere fortaßis non continget. Cæterùm cúm unum ex eorum numero me eſſe non ignorem, quos R. & M. D. T. in Catholica, & florentiſsima Academia Ingolſtadiana aliquot iam annos liberaliter fouit: æquum duxi, ut argumento hoc de Scripturarum authoritate, legitimaq; eorundẽ interpretatione à R. patre, & excellenti Theologo THEODORO PELTANO exercitationis cauſa propoſito, publiceq; à me defenſo, & M. T. nuncupato, aliquam cùm grati, tùm ſtudioſi quoq; animi ſignificationem ederem. Nec enim ulli iuſtiùs hoc quodcunq; laboris, uel induſtriæ eſt, dicare potui, quàm illi, cuius beneficio incæpi, promoui, & ſtudia mea hucuſq; peraduxi. Chriſtus IESVS M. T. Eccleſiæ Catholicæ, docentiumq;, ac diſcentium ſtudijs ad multos annos tueatur incolumem, AMEN. Datæ Ingolſtadij Calendis Februarijs Anni M. D. LXXII.**

R. & M. D. T. Sacellanus

M. Sebaſtianus Hoiandus,
S. Theologiæ Baccalaureus.

# QVÆSTIO.

*CVM de Canonicorum librorum numero, & authoritate, legitimoq́ eorundem ſenſu, & interpretatione, non parua inter Catholicos, & Catholicæ fidei hoſtes tempeſtate hac obtineat concertatio, nō immeritò in quæſtionem uocatur: Omnéſne illi libri, quos SS. Synodus Tridentina ſacrorum ac Canonicorum nomine, & numero cenſuit, uerè ſint eiuſmodi? Tùm penes Eccleſiamne horum eorundem, uel cognoſcendorum, uel interpretandorum autoritas exiſtat: an uerò penes alium?*

## *Synodus Carthaginenſis.*

*PLacuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ: Geneſis: Exod: Leuit: Num: Deuter: Ieſus naue: Ruth, Regum lib. 4. Paral. lib. 2. Iob unus. Pſalterium Dauidicum. Salom: libri 5. Liber duodecim Prophetarum. Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Thobias, Iudith, Eſter, Eſdræ libri 2. Machabæorum libri 2. Noui autem Teſtamenti 27. Euangeliorum libri 4. Epiſtolæ Pauli 13. Eiuſdem ad Hebræos una, Petri Apoſtoli 2. Ioannis Apoſtoli tres. Iacobi una. Ioannis Apocalypſis liber unus &c.* 3. Can. 47.

## *Synodus Tridentina.*

*AD coërcenda petulantia ingenia eadem SS. Synodus Tridentina decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturā ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta Mater Eccleſia. Cuius eſt iudicare de uero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum. Aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiam ſi huiuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem ædendæ forent.* Sectio. 4

## *Certos in Eccleſia Chriſti extare libros ſacros, eoſq́ uariè inter ſe diſpertiri, ac digeri. Sectionis primæ Theſis.*

I. *Quoſdam eſſe libros certò, ac indubitato diuinos, quos cùm Propheticos, & Teſtamentarios, tùm Canonicos quoq;, & ſacros, & nonnunquam etiam ſcripturarios appellant, extra controuerſiam eſt.*

2. Timoth. 3. II. *Diuinos uocant, quòd diuini ſpiritus afflatu, ad communem mortalium utilitatem in lucem æditi, diuinæ mentis, ac uoluntatis interpretes, nequaquàm dubij exiſtant.*

III. *Propheticos, quòd pleraq; eiuſmodi exponant, quæ citra cœleſte magiſterium cognoſci non poterant: nec alios, quàm cœleſtes uates authores agnoſcant. Vel ob id certè, quod non parua eorum pars, dum uulgare factum narrat, occultum aliquod myſterium prodat.*

IIII. *Teſtamentarios, quòd pacta, & fœdera, quæ Deus Opt. Max. cum genere noſtro iam olim miſit complectantur. Qua ratione & inſtrumenti quoq; appellationem interdum ſortiuntur. Solent enim, quæ contractuum, uel pactorum rationes continent, tabulæ, inſtrumentorum uocabulo nõ infrequenter deſignari.*

V. *Sanctos uel ſacros, quòd à totius ſanctimoniæ fonte orti, ab omni prophana uanitate & turpitudine, omniq; falſitate & errore immunes exiſtant: tum quòd ea ob oculos ponant, quæ ad inſignem ſanctitatem, & pietatem comparandam faciunt quàm maximè: tùm demum quod robur perpetuum, & inconcuſſam obtineant firmitatem.*

VI. *Scripturarios, uel abſolutè Scripturam, quòd omne aliud ſcriptorum genus immenſo interuallo poſt ſe relinquant. Quo loquendi ſchemate D. Paulum appellare conſueuimus Apoſtolum, Dauidem Prophetam, Homerum Poëtam, & alios item præcellentes uiros alia eiuſmodi nomenclatione.*

VII. *Canonicos, quòd, & certam rectæ fidei, & Chriſtianæ uitæ normam præſcribant, & quòd grauiſsimo Eccleſiæ iudicio, ut citra controuerſiam ſacri, iam olim recepti, & approbati ſint.*

VIII. *Eiuſmodi autem libri in uniuerſum ſunt duo ſupra ſeptuaginta. Quadraginta quinq; ueteris: uigintì autem ſeptem Teſtamenti Noui. Veteris Teſtamenti elencho continentur Gen: Exod: Leuit: & reliqui, quos ſuprà enumerabamus. Noui uerò quatuor Euangelia, quatuordecim Paulinæ, ſeptem Canonicæ, Apoſtolorum Acta, & Apocalypſis Ioannis.*

IX. *Ad horum autem librorum diſtributionem quod attinet: Chriſtus Dominus Teſtamentum uetus diſpertitur in Legem, Prophetas, & Pſalmos, ait enim: Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, &* Luc. 24. *Prophetis, & Pſalmis de me. D. Aug. libro, quem de Chriſtiana doctrina inſcripſit, in Hiſtoriam, & Prophetiam.*

X. Recen-

Digitized by Google

X. Recentiores utrunq; Teſtamentum diſpeſcunt in Legem, Prophetiam, Hiſtoriam, & cœleſtem ſapientiam. Lex uetus complectitur quinq; libros Moyſi. Moralis Philoſophia totidem Salomonis. Prophetia præter maiorum, & minorum Prophetarum oracula, Pſalterium, Baruch, & Threnos. Hiſtoria reliquos omnes. Lex autem noua quatuor Euangelia. Hiſtoria Apoſtolorum acta. Cœleſtis ſapientia quatuordecim Paulinas, & ſeptem Canonicas. Prophetia Ioannis Euangeliſtæ reuelationem.

XI. Sunt qui διαθηκόγραφα omnia in Protocanonica, Deuterocanonica, & Apocrypha, hoc eſt, in ea, quæ primi: & in ea, quæ ſecundi: & in ea, quæ ueluti notha, ac ſpuria nullius ſunt ordinis, diuellant.

XII. Protocanonica ea appellant, de quorum authoritate apud ſyncerè orthodoxos nulla unquam extitit quæſtio. Deuterocanonica, de quorum fide quandoq; anceps ſtetit ſententia. Apocrypha, quæ ut falſa, uel de falſitate ſuſpecta, iam olim ab Eccleſia proſcripta ſunt: ut ſunt Salomonis incantationes, libri Ieſu Chriſti de occulta ſapientia ad Petrum & Paulum &c. Tum illa rurſum, quæ, & fidei, & authoritatis etiamnum ſunt ambiguæ: cuiuſmodi inter cætera ſunt tertius & quartus Eſdræ, tertius & quartus Machabæorum, epiſtola D. Pauli ad Laodicenſes &c. Tum illa deniq;, quorum proximi authores certò non ſciuntur.

XIII. Verum ſi τὸ ἀπόκρυφον ea latitudine uſurpare fas eſſet, non ſolùm ψευδεπίγραφα, & omnino notha: & illa rurſum, de quibus necdum compertum eſt ſatis diuinóne an humano ſpiritu in lucē exierint, inter Apocrypha haberentur, ſed multa etiam citra dubitationem Canonica. Nam etſi Rabb. Cimchi memoriæ prodiderit Moyſen, præter Pētateuchon, cōſcripſiſſe librum Iob. Samuelem primum & ſecundum Regum, Ruth item & Hiſtoriam Iudicum. Eſaiam, Salomonis prouerbia, eiuſdemq; Eccleſiaſten, & Cāticа. Hieremiam tertium & ultimum Regum. Maioris Synagogæ proceres duodecim Prophetas minores, Eſter, Danielem, & Ezechielem. Dauidem cum nouem alijs Pſalterium, & alios item alios, hoc ipſum tamen adeò non eſt certum, ut in partem etiam ſit paradoxon. Quis enim credat librum ſecundum Regum ſcripſiſſe Samuelem, qui 25. primi uita functus memoratur?

XIIII. Sed nec ullam quoq; probabilitatem habet Eſaiam, præter Prophetiam ſuam, ædidiſſe tria Salomonis uolumina, aut maioris Synagogæ Doctores librum minorum Prophetarum, Eſter item, Danielem, & Ezechielem. Regum ultimum ac penultimum Hieremiam, tametſi ſub finem paucis quibuſdam ſententijs inter ſe conſpirent. Hier. & ultimus Reg.



Digitized by Google

X V. *Libri Apocryphi nullo certo numero continentur. Hyſterocano- nici in uniuerſum cenſentur quatuordecim, ueteris octo, Teſtamenti noui ſe- ptem. Inter incertæ authoritatis ueteris inſtrumenti codices habebatur quondam Thobias, Iudith, Baruch, Sapientia Salomonis, Eccleſiaſticus, pri- mus & ſecundus Machabæorum: Noui autem, Epiſtola ad Hebræos, Iacobi item, & Iudæ, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Ioannis, & eiuſdem Apoca- lypſis. Quibus ex Protocanonicis accenſebatur Epiſtola Hieremiæ, oratio Azariæ, trium puerorum hymnus, hiſtoria Suſannæ, Belis, & Abacuc, poſte- rior pars libri Eſter, ultimum caput Marci, agonia Chriſti, & pauca quæ- dam alia eiuſmodi.*

XVI. *Protocanonici, fragmentis his ſecluſis, numerantur ſeptem ſupra quinquaginta. Noui Teſtamenti uiginti, ueteris triginta ſeptem. Iudæi tamen pro literarum ſuarum numero, omnes ad duos ſupra uiginti reducunt. Faciunt idem quoq; ueteres Latini, hoc ſolo dempto, quòd qui- dam ex illis Ruth à libro Iudicum, & Threnos ab Hieremia ſeiungentes, numerum hunc binario auctiorem reddant.*

XVII. *Ex his primos quinq; abſoluit Moyſi Pentateuchon, ſextum Ioſue, ſeptimum Iudith & Ruth, octauum Samuel, nonam duo poſtremi Re- gum, decimum Eſaias, undecimum Hieremias & eiuſdem Threni, duodeci- mum Ezechiel, decimumtertium duodecim Prophetæ minores, quartumde- cimum Dauidis Pſalterium, quintumdecimum prouerbia Salomonis, ſextum decimum Iob, ſeptimumdecimum Daniel, decimumoctauum Eſdras, decimũ nonum Paralipomena, uigeſimum Eſter, uigeſimum primum Eccleſiaſtes, ui- geſimum ſecundum Cantica Canticorum.*

XVIII. *Hæc uiginti duo ueteris Teſtamẽti uolumina Ioſephus in quinq; legales, propheticos tredecim, & Muſicos quatuor diſpertit: non diſſentanẽ ab eo, qui omnes ſecernebat in legem, & Prophetas, & Pſalmos. Damaſcenus & Epiphanius eoſdem in quatuor πεντάδας & unã δυάδα diuellunt.*

X I X. *Primam πεντάδα apud ipſos conſtituunt quinq; libri Moyſi, ſecundam Ioſue, Iudices, Samuel, Regum duo, & totidem Paralipomenon: tertiam Iob, Pſalterium, Eccleſiaſtes, Prouerbia, et Salomonis Cantica: quar- tam duodecim Prophetæ minores, et quatuor maiores, δυάδα Eſdras, & Eſter, quam etiam ſolam eidem authores ἀσύντακτον relinquunt: Siqui- dem πεντάδα primam admetiuntur legalibus, ſecundam Hagiographis, tertiam Muſicis, quartam Propheticis.*

X X. *Gregorius Nazianzenus hos omnes in tres claſſes digerit: in*

unam

unam Muſicorum, in alteram Propheticorum, in tertiam & poſtremam hiſtoricorum. Inter Muſicos cenſet ille Iob, Dauidis Pſalterium, & tria Salomonis uolumina. Inter Propheticos duodecim minores, & quatuor maiores Prophetas. Inter Hiſtoricos reliquos omnes.

XXI. Eandem tripartitam ſectionem obſeruaſſe deprehenduntur ueteres Iudæi, tametſi non eodem ordine. Diuidunt hi enim omnes in quinq; Legales, octo Propheticos, & nouem Hagiographos. Propheticos autem appellant illi, non eos ſolùm libros, quibus minorum et maiorum Prophetarum oracula continentur, excepto Danielis uolumine, quod collocant inter Hagiographa, uerum eos etiam, quibus Regum, Ioſue, & Iudicum hiſtoria explicatur. Hagiographa, præter Pentateuchon, reliquos omnes

XXII. Hinc recentiores Iudæi capta occaſione, præter legales & ſcriptuarios, quos eoſdem ferè cum ueteribus enumerant, aſsignant duplicem Propheticorum ordinem, unum priorum Prophetarum, alterum poſteriorum. Inter priores reponunt illi quatuor Regum libros, Ioſue item, & Iudicum hiſtoriam: inter poſteriores uerò Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & duodecim Prophetas minores.

XXIII. Quî Latini, qui abauorum, et attauorum noſtrorum memoria ſcholijs ſuis Scripturã illuſtrarũt, utriuſq; Teſtamenti uolumina diſtribuãt, id obiter indicatum eſt à me, nec opus eſt pluribus. Vnum coronidis loco hic addiderim: nempè in diſtributionibus iſtis denominationes ab eo fieri, quod potiſsimum eſt, non ab eo, quod præciſè eſt. Nam libri hiſtorici ſimul ſunt etiam Prophetici, Muſici, & Ethici, tametſi non paſsim: & Ethici rurſum Prophetici, Muſici, & Hiſtorici, & ſic de reliquis.

## Libros ſacros cùm alios externos omnes, tum ſeinuicem quoq; excellere. Sectionis ſecundæ Theſis.

I. Hi autem libri, ſiue originem, ſiue notitiæ certitudinem, ſiue argumenti, rerúmue, quas tractant, præſtantiam, ac grauitatem, ſiue eorundem utilitatem, ac neceſsitatem ſpectes, ſiue aliud quodcunq; eiuſmodi hic conſideres, omne externũ ſcriptorũ genus magna poſt ſe intercapedine relinquũt.

II. Enimuerò omnes omninò externæ literæ, omneſq; humanæ diſciplinæ obſcura rationis luce nixæ, circa caduca, & uilia plerunq; occupantur: ſacræ autem, nec uilia tractant, nec medio nituntur fallaci, ſed firmo: ac certo. Externæ, rurſum ad Ariſtotelem, Pythagoram, Platonem, uel

alium

*alium quempiam mortalium originem ſuam referunt: ſacræ verò, non alium, quàm ſempiternum illum Spiritum authorem agnoſcunt. Externæ demum ad pietatem, & ueram beatitudinem obtinendam non ita multùm conferunt: ſacræ autem ad utranq; rem momentum adferunt longè maximum.*

III. *Mitto hic quæ ſacris literis exponuntur, ea, & multò communiora, & certiora, & multò rurſum ad formandos mores Chriſtiano homine dignos accommodatiora eſſe, quàm quæ alijs quibuſcunq; exoticis. Sunt enim humanæ diſciplinæ, per ſe ſteriles, frigidæ, perplexæ, multis erroribus, opinionibus, & inutilibus thricis paßim reſperſæ.*

IIII. *At dices forſan: ſacræ literæ nihil quicquam probant, ſed narrant tantùm, externæ autem, quod affirmant, certa ratione demonſtrant? Falſum eſt externas omnes demonſtrare, quod affirmant, Scripturam autem tantum narrare. Habet enim & illa quoq; ſuas argumentationes, tametſi minus frequentes, & minus quoq; euidentes, quàm alteræ illæ.*

V. *Sed nec opus quoq; eſt ſingula, quæ creduntur, uel affirmantur perſpicua ratione demonſtrare. Nam quis inter homines conſtaret conuictus, quod parentum, ac liberorum inter ſe ſtudium, quæ contractuum humanorũ, & negotiorum firmitas, quæ rerum præteritarum cognitio, uel obſeruatio, ſi id tantum recipiatur, quod ſenſu deprehenſum, uel euidenti ratione concluſum eſt?*

VI. *Rectè hoc, ais, at nihil horum omnium humanam fidem ſuperat, atq; ita ut falſa quandoq;, & conficta ſint, pro ueris tamen, ac certis habere licet, quæ autem Scripturæ exponunt, ea omnem interdum ſenſum, et mentis cogitationem excellunt.*

VII. *Sit ita? atqui ita eſſe debuit in ijs præſertim, quæ de Deo citra rationis euidentiam creduntur. Nam cum Deus Opt: Max: rationem omnem ſuperet, ſupraq; omnem naturam, & cogitationem exiſtat, neceſſum fuit, ut multa ei conuenirēt, quæ humanæ mentis captum excederent. Noſtri enim intellectus anguſtijs tanta res comprehendi non poteſt.*

VIII. *Inſtas denuò: cæteræ ſcientiæ, & diſciplinæ ſortiuntur materiam aliquam certam, circa quam plurimùm occupantur, quæ autem tractantur in ſacris, ea pleraq; nullam inter ſe connexionem, aut cognationem habent?*

IX. *Habent eam, quam oportet, & quam cæteræ diſciplinæ habere ſolent. Nam quæcunq; hic tractantur, uel explicantur, hactenus tractantur, & explicantur, quatenus orta, uel patefacta ſunt à Deo, uel uiam muniunt ad Deũ, uel Dei naturam, proprietatem, uel operationem nobis exponunt.*

X. *Si*

Digitized by Google

X. *Si, inquis tandem, doctrina, quæ his libris traditur, aliquid cum ueri nominis diſciplinis commune haberet, inter practicas utiq;, uel Theoricas ſcientias ſtationem obtineret: ſed neutrobiq; firmis ſatis radicibus hærere uidetur?*

XI. *An diuinorum notitia, quæ ex his libris hauritur, ſcientia dici debeat, an ſapientia: practica item, an ſpeculatiua, id non ita magni refert: ſat nobis ſit plurima de mundi origine, de* Dei Opt: Max: *prouidentia, de animæ immortalitate, de intelligentiarum natura, de bonorum præmijs, de ſceleratorum pœnis: de moribus item, omniq; uirtutum genere, ac humanarum actionum ratione perſpicuè, & citra errorem hic tradi, & explicari, quæ à ſæculi ſapientibus, uel perperam, uel minus abſolutè ea de re explicata, & tradita extabant.*

XII. QVIN ET *ſe mutuò quoq;, haud ſecùs ferè, atq; leges, et Teſtamenta, quorũ certæ quædam baſes, & firmamenta exiſtunt, eidē illi libri excellunt.* Non eò quidem, *aut certè non eò præciſè, quod alij alijs illuſtrioris ubiq; ſint argumenti, aut obiecti: ſiquidem hoc in uno eodemq; uolumine ſæpè eſt diuerſum, in diuerſis uerò plæruną; diuerſiſſimum.* Nec eò item, *quod alius horum, alius illorum primarius author extiterit: planum eſt enim eundem* Deum, *qui olim* Patribus *loquebatur in* Prophetis, *nouiſſimè nobis locutum eſſe in filio, &* Apoſtolis.

XIII. *Nec eò rurſum, quòd alio noui, alio ueteris* Teſtamenti *uolumina ſpiritu ſint dictata, aut lumine patefacta.* Omnia *nanq; non alia, & alia, ſed una eadēq; reuelationis uia ad nos deuenēre.* Nec eò *etiam, quòd hi illis maiori certitudine nitantur.* Nam *cum ſupremus eorum author uno loco, aut tempore non ſit uerior, quàm alio: aut in una re, quàm in alia, ſed ſemper ſibi ſimilis, fieri omninò non poteſt, ut unum illius monumentum maiorem ex ſe obtineat certitudinem, quàm alterum.*

XIIII. Nec *eò tandem, quòd maioris ex ſe neceſſitatis ſint, quæ traduntur in uno, quam quæ in altero.* Nam *ut ſcriptũ eſt:* Cœlum *& terra tranſibunt, uerba autem mea non præteribunt: ita alio rurſum in loco pronunciatum extat:* Donec *tranſeat cœlum, & terra,* Iota *unum, aut unus apex non trãſibit à lege, donec omnia fiant: ſed eò maximè, quòd hi, hoc eſt, noui* Teſtamenti *libri, & præcipuè* Euangeliorum, *uniuerſam* Chriſti Seruatoris *noſtri* Oeconomiam *ambitu ſuo complexi, eam nobis legem proponunt, qua nulla unquam extitit, aut ſanctior, aut abſolutior.* Matth: 24. Matth. 5.

XV. *Bona ac ſancta erat lex* Moſaica: *bonæ & ſanctæ ſunt leges* Politicæ, *&* Pontificiæ, *ſed nihil harum omnium ſanctitas, & excellentia ad ſan-*

ſtitatem, & excellentiam legis Euangelicæ. Enimuerò omnes aliæ leges de illis plerunq; cauēt, quæ ſecundum ſe ſunt ἀδιάφορα, ſed uel bona, quia præcepta, uel mala, quia prohibita. Lex autem Euāgelica ea tantùm uetat, quæ intrinſecè ſunt mala, ea uerò mandat, quæ ſecundum ſe, & intrinſecè ſunt honeſta: tametſi nō præciſè. Nam baptizari, inungi, peccata Sacerdoti aperire, et alia quædam eiuſmodi, ſi Chriſti præceptum tollas, ſecundū ſe ſunt media.

XVI. Leges humanæ rurſum multa publicæ tranquillitatis cauſa permittūt impunita, quæ ex ſe inhoneſta, et legi naturæ omninò diſſentanea ſunt. Matth.5. Sed & uetus quoq; lex uxorum repudium, fœnebrem quæſtum cum Exoticis, inimicorum odium, & alia eius generis nonnulla, quæ ex ſe mala eſſe ſapientes non ignorant, inulta ſinebat. At Chriſti uerò lex adeò ſancta, & caſta eſt, Matth.12. ut uerbum quoq; temerè prolatum in noxam ponat. Omne, inquit dux, & legiſer noſter, uerbum ocioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

XVII. Eædem illæ leges de actibus internis ex inſtituto, & per ſe nihil ſtatuunt, ſed tantùm de externis: pro ut homini de ijs, quæ in homine ſunt, certò conſtare non poteſt, ſed de ijs tantum, quæ foris parent. De utriſq; autē Matth.5. cauet Euangelium: Qui (inquit Dominus) uiderit mulierem ad concupiſcendam eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo. Rurſum: Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.

XVIII. Cæteræ tandem leges ad publicam pacem, uitæq; politicæ felicitatem præcipuè referuntur. Hanc enim, ut ſcopum, præfixam ſibi habent. Quod ſi ad alteram quoq; conferunt, ut in partem Synagogæ, & Pontificiæ, uires tamen, quibus eam conſequare non præſtant. At uerò lex Euangelica, & uiam, qua rectà ad ueram illam beatitudinem eatur, luculentam, & expeditam oſtendit, & robur prætereà, & uires, quibus ad eam pertingas, affatim ſubminiſtrare conſueuit.

XIX. Excellunt hoc rurſum noui Teſtamenti libri Scripturam ueterem, quòd hæc edita, & promulgata ſit per Moyſen, & Prophetas: illi uerò per Chriſtum, & Apoſtolos. At quantum Chriſtus præſtet Moyſi, Apoſtoli uerò eiuſdem ueteris legis prophetis, id prolixa explicatione non indiget. Nam ut de ſingulari Chriſti Domini noſtri excellentia nihil omnino hoc loco dicamus, certè Apoſtoli, & Spiritus ubertate, & cœleſtium myſteriorum cognitione, & miraculorum, aliorumq; gratuitorum donorum multitudine, & magnitudine, & legationis latitudine, legales Sanctos multùm per omnem modum excelluerunt.

XX. Deniq; ueteris Inſtrumenti uolumina, eo ferè modo ſe habent ad

Euange-

*Euangelia, & reliqua noui Teſtamenti ſcripta, quo ipſa ad ſeinuicem affecta ſunt Teſtamenta. Atqui uetus Teſtamentum, ita ſe habere uidetur ad nouum, ut imperfectum ad perfectum, umbra ad corpus, figura ad ueritatem, temporaneum ad æternum, nouum ad inueteratum.*

XXI. *Poſt Euangelium primæ deferri ſolent literis Apoſtolicis, hoc eſt, Paulinis, et ſeptem Canonicis: poſtremæ reliquis utriuſq; Teſtamenti commentarijs. Tametſi in illis ipſis multi paßim, & diuerſi dignitatis gradus ſe offerant: & nulla rurſum, quæ multis primariorum partibus adeò non cedunt, ut eaſdem etiam excellant.* Epiſtolis.

XXII. *At longè alia de horum librorum præſtantia, & ordine Isleebienſi Heliæ mens erat. Nam de Pentateucho, quod inter alios ueteris Teſtamenti libros principatum tenet, hunc in modum alicui ſcribit:* Lex non eſt digna, quæ vocetur verbum Dei: Decalogus ad prætorium pertinet, non ad Eccleſiæ cathedram. Ad furcam cum Moyſe. Moyſes nihil ad nos pertinet. Nihil mihi cum Moyſe. Ego Moyſen non recipio. Omnes, qui cum Moyſe agunt ad Diabolum abire oportet. *Hæc, & alia æquè in Deum contumelioſa nouus ille Manichæus de libris Moyſi. De Primarijs uerò noui Teſtamenti uoluminibus, quæ hic ſubijcimus.* Serm. de Moyſe, & Legę.

XXIII. Ea opinio quòd quatuor tantùm ſunt Euangelia, totidemq; Euangeliſtæ repudianda eſt: Caue ne ex Chriſto Moyſen quendam facias, & ex Euangelio legum tabulas: Nec enim Euangelium eſt liber quidam legum, ſed tantum commendatio beneficiorum Chriſti, quæ percipiunt omnes credentes. *Et paucis interiectis ſubdit:* Epiſtolæ Pauli, & Petri tribus Euangeliſtis Matthæo, Marco, & Lucæ, quos longè excellunt, præponendæ ſunt. Epiſtola ad Hebræos, nec Pauli eſt, nec vllius Apoſtoli. Epiſtola Iacobi nullius eſt Apoſtoli, quia directè cōtra Paulum, & omnem aliam Scripturam operibus tribuit iuſtificationem. In Apocalypſi varia deſidero, ideò eam, nec Apoſtolicam, nec Propheticam exiſtimo. *Hæc Lutheri de Scripturis ſunt iudicia, à quibus Otto Brunfelſius æquè alioquin, atq; Lutherus impius, & in Chriſtum blaſphemus toto diſsidet cœlo. Hic enim Moyſi adeò addictus eſt, ut Sacroſanctum* IESV *Chriſti Euangelium indignum, quod inter ſacras Scripturas habeatur, cenſere non dubitet. Cauſatur enim aliud nihil eſſe, quàm meram Caballiſticam relationem, qua alter alterum erudit.* In Proble. quodam.



Digitized by Google

XXIII. *Et ne quid impietati deſit, addit omnia huc tendere, ut Apoſtolos homines fuiſſe intelligamus, & labi potuiſſe, atque etiam pugnantia ſcripſiſſe.* Quod, inquit idem, in plæriſq; adeò euidens eſt, vt componi neq; poſsint, neq; velint, quicquid tandem moliatur Auguſtinus. *Hæc egregij illi ueræ religionis, ſi Orco placet, inſtauratores, quintiq; Euangelij Protomyſtæ.*

## *Iudicium de Scripturis, & earum authoritate in uniuerſum per Scripturas fieri non poſſe. Sectionis tertiæ Theſis.*

I. *Vt diuinarum literarum uim, ac robur obtineant Scripturæ ſacræ, externum aliquod iudicium ſubeant neceſſum eſt.*

II. *Hoc autem de Scripturis iudicium, per Scripturas uniuerſaliter fieri non poſſe, apud eos, qui mente ualent, extra controuerſiam eſt. Nam hoc uolumen ſacrum, uel Canonicum, hoc contrà prophanum, uel Apocryphon eſſe, id ex Scripturis ſacris euidenter probari non poteſt.*

III. *Fuerunt, qui totum uetus Teſtamentum, tanquam à malo Dæmone ortum, condemnarent. Alij, qui hanc, uel illam illius partem reſpuerent. Nec defuêre, qui totum nouum, ueluti irreconciliabilibus antinomijs, & antilogijs refertum; neq; Chriſti authoritate, aut iuſſu conſcriptum, in ius uocarunt. Hos autem, & his cognatos impietatis magiſtros, clarè ex Scripturis uelle reuincere, aliud nihil eſt, quàm actum agere.*

IIII. *Nos igitur ſaniori doctrina imbuti Marci, & Lucæ Euangelium complectimur, Bartholomæi, Thomæ, & Andreæ non agnoſcimus. Non ob id ſanè, quòd horum ſcripta repudiet Scriptura ſacra, illorum uerò approbet: nec ob id etiam, quod horum Euangelia ſint Apoſtolorum, non etiam illorum. Conſtat enim Lucam, & Marcum Apoſtolos non fuiſſe, ſed tantùm Apoſtolorum diſcipulos: ſed quod horum calculo ſuo approbarint illi, penes quos ſumma, & irrefragabilis harum rerum cognoſcendarum authoritas exiſtit, illorum uerò minimè.*

V. *Adde Scripturam iudicem eſſe ſurdum, ac mutum, quæ proinde, nec litigantium rationes audire, nec cauſæ merita cognoſcere, nec ſententiam proferre, nec cætera, quæ iudicum ſunt, potis eſt præſtare. Quare animati iudicis authoritate è medio ſublata, nihil nobis reliquum fiet, quo, uel ipſam Scripturam, uel cætera, quæ Scripturarum authoritate nitumur, ſolidè conſtituamus.*

VI. Imò

Digitized by Google

VI. Imò uerò licèt confingeremus librum aliquem à Chriſto Domino noſtro æditum eſſe, in quo explicatiſsimè contineremur, quæ ad inſtitutionem totius noſtræ uitæ pertinerent: à quo ijdem omnes Doctores, & Paſtores, omnia fidei, & morum documenta, & omnium controuerſiarum explicationes haurire iuberet: adhuc tamen eiuſmodi liber in dirimendis controuerſijs, quæ inter rudes, & ignaros orirentur, iudex dici, aut haberi nõ deberet: ſed lex tantum, & regula immobilis, ad quam obortarum controuerſiarum iudices, ſententiam ſuam, ueluti ad certam quandam amuſsim exigere deberent.

VII. Adhæc in ueteri Iudæorum ſynagoga, quam expreſſum Eccleſiæ typum geſsiſſe fatemur omnes ſi quid fortè controuerſiarum inter fideles ortum eſſet, id non referebatur ad Scripturam, ſed, uel ad ſummum Sacerdotem, uel ad ſupremum eiuſdem Senatũ. Labia, inquit Malachias, Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius: de ore, inquit, Sacerdotis, non de ipſa lege. Et alio rurſum loco: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas uideris uerba uariari: ſurge, et aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresq; ab ijs, qui iudicabunt iudicij ueritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus. &c.

Cap. 2.

Deuter. 17.

VIII. Antiocheni quoq; non ad Scripturam appellabant, dum ambigerent, Pauline & Barnabæ uerba diuina eſſent, an eorum, qui deſcenderant à Iudæa, ſed ad Apoſtolos, & ſeniores, qui erant Hieroſolymis. Sed nec ipſi quoq; Apoſtoli, ad quos oborta quæſtio delata erat, iudicem Scripturam conſtituerunt, ſed Spiritum ſanctum, & ſemetipſos. Viſum eſt, inquiunt, Spiritui ſancto & nobis &c. Hic autem Spiritus non habitat in membranis, literis, aut ſyllabis, ſed in hominum mentibus.

Actor. 15.

Eod. cap.

IX. Demum controuerſiæ, quæ de quacunq; lege, uel cuiuſcunq; legis intellectu, in quacunq; Repub. uel hominum ſocietate naſcuntur, eæ ordinariè non reſoluuntur per legem, ſed per iudicem ſecundũ Legẽ, uel per legislatorem, uel legitimum eiuſdem legislatoris ſucceſſorem. Ad eundem ergo modum, ſi qua in Eccleſia, de Scripturis, uel alia re, quæſtio nata fuerit, eam per alium iudicem, quàm per legis literam diſcutere, ac determinare oportebit.

X. Sunt, qui quæſtionis huius nodum ex Apoſtolorum doctrina, illuſtribus iam olim ſignis, & prodigijs confirmata, et commodè, & clarè diſſolui poſſe contendant. Sed hi inſulſe ſanè, ut cætera ferè ſolent, id contendunt.



Digitized by Google

*dunt. Primò enim, quòd Apoſtoli Euangelium per terrarum orbem promulgarunt, & quod illuſtribus ſignis, et prodigijs doctrinam ſuam confirmarũt, & quod hoc, uel illud ſtatuerunt, hoc totum non aliunde nobis compertũ eſt, quàm ex ipſiſmet Scripturis: aut ſi aliundè quoq;, id tamen non ea certitudine, cui à peruicacibus contradici non queat: Atqui unum, & idem non poteſt ſimul, & ſemel, & ſecumdum idem probans eſſe, & probatum: ſicut nec idem quoq;, reſpectu eiuſdem, producens & productum. Oportet ergo altius aliquod principium petere, quo certò nobis oſtendatur, hanc doctrinam ſanam eſſe, & ſanctam, illam contrà prophanam, Hæreticam, uel Apocrypham.*

XI. *Sunt alij igitur, qui ueteris quidem Teſtamenti αὐθεντίαν, & ueritatem ex nouo, uel rerum in eo prædictarum euentu: noui uerò ex ſtylo, uel argumento, uel certè ex fidis piorum hominum teſtimonijs firmari poſſe doceant. Sed nec hi quoq;, in quem collimant ſcopum, pertingunt. Nam ſi ex Scripturis certò conſtare non poteſt, ut re uera non poteſt, nouum Teſtamentum diuinam eſſe Scripturam, multo minus ex eodem cõſtabit uetus eſſe eiuſmodi: ſiquidem quod probat, eo, quod probatur, euidentius eſſe oportet, ut omne principium ſua concluſione.*

XII. *Et ut certò, & euidenter ex Scripturis euinci id poßit, adhuc tamen tam pauca ex ueteri Teſtamento allegantur in nouo, ut pro nullis haberi queant, ſi cum illis conferas, ex quibus nihil omnino allegatur. Neq; ſi multa ſint, quæ allegantur, totum ſtatim librum, unde iſthæc allegantur, Canonizant: niſi quis forſan exiſtimet D. Paulum totum Menandrum, Epimenidem, & Aratum approbaſſe, hoc ipſo, quod breues quaſdam gnomas alicubi ex ipſis mutuatur: ſed eam tantùm ſententiam, quam inde in ueritatis confirmationem depromunt.*

XIII. *Pari modo licet pleraq; ueteris Teſtamenti prædictiones, & uaticinia expleta legantur in nouo, ex ijs præſertim, quæ Chriſti Domini noſtri Oeconomiam cõcernebant, utrunq; tamen: nempè hoc, uel illud prædictũ eſſe, hoc rurſum, uel illud expletum eſſe, id non aliunde certò didicimus, quàm ex Sacris utriuſq; Teſtamenti uoluminibus.*

XIIII. *Iam ſi argumentum ex rerum euentu, uel libri cuiuſuis allegatione ductum, nõ ſatis firmum eſt ſemper ad conſtituendam totius eiuſdem libri, unde ducitur, authoritatem, multò ſanè infirmius erit, quod ex ſtylo, uel argumento, uel authoris axiomate petitur: ſiquidem idem author non eadem ſemper oratione utitur, aut ſtylo: ſed modò hoc, modò illo, prout materia fert, uel otiũ ſinit. Nec idem rurſum argumentũ tractat ſemper: nec, ſi idẽ tractat, eodem tamen modo illud idem ſemper explicat, ſed alio ſæpè, ac alio.*

XV. Sed

XV. *Sed neq; authoris nomen, aut illuſtris libri titulus certam ex ſe ſemper faciunt fidem. Nam, & Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti nominibus circumferuntur Euangelia: & Sanctorum Patriarcharum titulis commentaria, quae tamen, ut Pſeudepigrapha, & falſa iam olim ab Eccleſia ſunt reiecta.*

XVI. *Quare inſulſa eſt Sectariorum ratio, qua ex ſtyli, uel argumenti diſſimilitudine: uel ex ſalutationum, aut exordiorum diſparitate, hunc, uel illũ librum Canonicum, iſtum contrà, uel illum Apocryphum eſſe pronunciant. Sunt enim haec plærunq; fallaciſſima, & incertiſſima.*

XVII. *D. Ioannes prima ſua Canonica nulla utitur ſalutatione, ſecunda perbreui, tertia prolixa admodum. D. Iacobus eadem propemodũ, qua Apoſtoli, & Iudaeorum ſenatus Actor. 15. ad fratres, qui erant Antiochiae, per Paulum, & Barnabam ſcribentes.*

XVIII. *Et ut certum aliquod iudicium ex ſtylo, aut argumento, aut titulo, aut alio his cognato fieri poſſit, adhuc tamẽ non eſt quorumlibet ex his ſententiam ferre, ſed eorum tantum, qui ſenſus habent diuino ſpiritu illuminatos, & in diuinis literis egregiè exercitatos: quales profectò non habent fidei aduerſarij, nec omnes etiam Catholicorum Theologi.*

XIX. *Quod poſtremò de piorum hominum teſtimonijs adducebatur, id, quod aduerſa pars commoliebatur, nequaquam efficit: ſiquidem humana teſtimonia, niſi peculiari numinis impulſione nitantur, non ſunt certa. Eſt enim omnis homo mendax, ſolus autem Deus uerax. Et quamuis Deus nonnullos etiam priuatos certò dirigat, & moueat, de ea tamen motione, niſi aliunde certitudo accedat, certò homini conſtare non ſolet.* Pſal. 115.

XX. *Mitto hic, quod per eiuſmodi teſtimonia probatur, id per Scripturas, non probari: ſiquidem teſtimoniorum humanorum conſenſus non cõſtituit Scripturam, ſed, uel opinionem, uel ſi quid amplius, traditionem. Traditio autem eſt locus à Scriptura, & Eccleſiae authoritate diſtinctus: Aduerſarius autem uult Scripturas per Scripturas probari, non etiam per hominum atteſtationes.*

## *Neq; particularis Synodi, aut Epiſcopi: neq; magiſtratus politici, aut promiſcui uulgi: neq; cuiuſquam priuati Doctoris partes eſſe, certò inter libros nothos, ac germanè ſacros diſcernere. Sectionis quartae Theſis.*

I. Sed

I. *Sed neq; iudicium hoc de Canonicis Scripturis, uel alijs fidei controuerſijs (in idē enim redit utrunq;) ad Diœceſana, Prouinciali a, uel Nationalia Concilia ſpectat. Debet namq; iudicium hoc modis omnibus certum, ac firmum eſſe: cuiuſmodi ſanè non eſt Diœceſanorum, uel Prouincialium Conciliorum: ut quæ uniuerſalem Eccleſiam non referant, neq; ullam certam perpetuæ ueritatis promiſsionem habeant. Vnde etiam talismodi Concilia interdum erraſſe leguntur. Et ut nullum unquam re ipſa erraſſet, ob cauſam tamen iam expoſitam, omnia errare potuerunt, & etiamnum errare poſſunt, & poſſent.*

II. *Poſſunt quidem Diœceſana, Prouincialia, & Nationalia Concilia diligenter inquirere, ecquidnam ſit illud, quod in controuerſijs, quæ de fide oriuntur, Eccleſia Catholica profiteri conſueuit, idq; alijs per modum doctrinæ tradere: at minus tamen conſultè, imò uerò temerè facerent, ſi eam ſibi authoritatem arrogarent, ut præſcribere uelint, quid omnes in uniuerſum Chriſtianos, tanquam certum, & indubitatum ſequi, ac tenere oporteat. Nam hoc ne Oecumenicis quidem Concilijs, ad quæ totius orbis Epiſcopi conuocantur, liceret, quæ à ſummo quidem Pontifice eſſent coacta, eiuſdem tamen morte intercepta. Nec illis rurſum, qui tempore Schiſmatis cogi poſſent, tantiſper, dum certus aliquis Pontifex declararetur.*

III. *Diſſerimus hic ſemper de particularium Synodorum decretis ſecundum ſe. Nam ſi Pontifex maximus, uel Concilium uniuerſale legitimè congregatum, & confirmatum, alicuius Nationalis, uel Prouincialis, uel Diœceſanæ ſententiam, ut ueram, & orthodoxam approbaret, illa æquè obtineret, atq; ſi proximè à ſummo Pontifice, uel Synodo Oecumenica ædita eſſet.*

IIII. *Imò uerò pleræq; hæreſes, & obortæ circa fidem controuerſiæ, proximè à Prouincialibus Synodis proſcriptæ, & condemnatæ leguntur: ut Priſcillianiſtarum in Toletano primo: Ebionitarum in Theleſino: Pelagianorum in Mileuitano, & aliæ item in alijs. Nec enim expedit toties cogere uniuerſale Conſilium, quoties oriuntur noui, circa fidem errores, aut nouæ circa eandem quæſtiones.*

V. *Verum enimuerò licet ex Prouinciali, uel Nationali Concilio, ut eiuſmodi eſt, nō ducatur argumentum neceſſarium, ducitur hinc tamē probabile, & conſentaneum. Siquidem iſtiuſmodi Synodi rariſsimè in fidei, uel morum definitione erraſſe comperiuntur. Errauit Mediolanenſis, & Antiochena, & paucæ quædam aliæ, ſed nullæ hæ ſunt cum ijs collatæ, quæ rectè de fide pronunciārunt.*

VI. Quin

Digitized by Google

VI. Quin & ex Diœceſana quoq; iſtiuſmodi argumentum nonnunquam petitur: uerũ quò hæc minus eſt ſolennis, eò ratio hinc ducta minus eſt neceſſaria. Vnde etiam perrarò taliſmodi Concilia à ſummo Pontifice confirmata leguntur: licet aliqua eius generis ab eo confirmata ſint, & omnia, ubi rectè ſentiunt, ut in plæriſq; omnibus ſolent, ab eodem confirmari queant.

VII. Iamſi Nationalium, Prouincialium, & Diœceſanarum Synodorum ſententia in fidei, & morum controuerſia non eſt neceſſaria, hoc eſt, abſolutè uera et certa, multò ſanè minus certa erit priuati Doctoris, quantumlibet pij, & inſigniter eruditi.

VIII. Quamobrem inepta, ac planè temeraria eorum eſt ſententia, qui neſcio quò nouitatis ſpiritu ducti, nos D. Hieronymum certam, ac irrefragabilem Canonicarum Scripturarum regulam adeptos eſſe cõmenti ſunt: quaſi id tantum Canonicum ſit, quod D. Hieronymus Hebræorum opinionem ſecutus Canonicum eſſe iudicauit, reliqua autem omnia Apocrypha, & excluſſia.

IX. Complectitur ſanè D. Hieronymi doctrinam Gelaſius Pontifex, eiuſdemq; de ueterum quorundam Theologorum, ac Patrum recipit iudicium: at nuſquam ille docuit, ſed nec ſomnauit quidem, nos certam, ac irrefragabilem Canonicorum librorum regulam nactos eſſe B. Hieronymum: hoc eſt, eos dumtaxat libros cenſendos eſſe diuinos, quos D. Hieronymus in ſuum retulit Canonem. Intelligebat enim uir ſapiens, condere Canonem Scripturarium, qui apud omnes haberetur ratus, ac certus, id nec D. Hieronymi, nec alterius cuiuſquam priuati Doctoris munus eſſe. Excellit hoc enim multum omnem priuatorum facultatem. C. Sancta Romana d. 15.

X. Quod ſi Gelaſius Canonicarum Scripturarum Elenchum à D. Hieronymo, uel Ioſepho æditum, (nam Ioſephi ſententiam ſecutus eſt hic Hieronymus, non ſuam) abſolutè recepiſſet, nequaquam is cum ſeptuaginta Epiſcoporum Concilio condidiſſet alium, ab Hieronymiano longè diuerſum?

XI. Ecquid ergo præſtitit hic Hieronymus? id ſanè quod ante ipſum Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Melito, & alij complures eius notæ Theologi, & Patres. Expoſuit enim, quid de librorum Canonicorum numero, & authoritate ſentiret: legem autem, quæ uniuerſalem Eccleſiam obligaret, nec tulit, nec ferre potuit, nec ferre inſtituit.

XII. Iam ſi penes Prouincialia, uel Nationalia Cõcilia, celebrioreſq;, ac ſanctiores Eccleſiæ Doctores non reſidet authoritas certò decernendi, ac pronunciandi, qui libri ſimpliciter habendi ſunt ſacri, qui contra eiuſmodi cenſendi non ſint: multò ſanè minus eiuſmodi poteſtas reſidebit penes Ma-



Digitized by Google

*giſtratum Politicum, aut promiſcuum uulgus mortalium: nec hoc cadit in diſceptationem. Nam, præter illuſtrem rerum diuinarum ſcientiam, & certam diuini Spiritus præſentiam, & aßiſtentiam, ad eiuſmodi definitiones poteſtas quoq;, & iuriſdictio ſpiritalis exigitur, quorum omnium nihil omnino adeſt Magiſtratui ſeculari, aut promiſcuæ hominum multitudini.*

XIII. *Sed obiectant hic nobis, qui uanitate, et falſitate oblectantur magis, quàm unitate, & ueritate: Multos paßim, etiã inter priuatos comperiri, qui, & uoluntatem Dei faciant, & ueri, ſummiq; paſtoris Chriſti Seruatoris uocem audiant, ac ſpiritalem ſenſum obtineant: eiuſmodi autem idoneos eſſe, qui per ſe de ſacra Scriptura cenſeant, & iudicium de eiuſdem ferant, ſcriptum eſt enim, inquiunt: Si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoſcet*
Ioan. 17. *ex doctrina, utrum ex Deo ſit. Rurſum: Oues meæ uocem meam audiunt,*
Ioan. 10. 1. Cor. 2. *alienam autem non ſequuntur. Demum: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſpiritalis autem dijudicat omnia.*

XIIII. *Verum hæc, & ſi qua ſunt eius generis alia, ne probabiliter quidem, quod iſti enixè contendunt, efficiunt. Et quidem ad primum quod ſpectat, libenter concedimus doctrinam ad ſalutem neceſſariam, non facilè ei defuturam, qui Dei uoluntatem bona fide explere ſtuduerit. Deus enim, quod in ſe eſt, impigrè facienti deeſſe non ſolet: at interim nulla eſt conſecutio, ſtrenuè hic, uel ille, quod ſuarum eſt partium, obit: ergo quicquid ad uniuerſalis Eccleſiæ gubernationem, uel eiuſdem adminiſtrationem eſt neceſſarium exactè nouit. Vel, ergo fidei controuerſias citra errorem cognoſcere, & definire poterit. Niſi quis forſan omnes omninò iuſtos ea cognoſcendi ſcientia, & facultate præditos exiſtimet: ſed id uel cogitatu abſurdum fuerit, nedum aſſertu.*

XV. *Quid, quod ne illa ipſa quidem, quorum cognitio ad ſalutem eſt neceſſaria, citra laborem, & ſtudium, externumq; magiſterium communi lege fidelibus obtingant? Confert enim Deus ita dona ſua, ut tamen media, quæ ad ea obtinenda utilia, uel neceſſaria ſunt non excludat, ſed includat.*

Ioan. 10. XVI. *Cæterum cum Dominus inter cætera ait: Oues meæ uocem meam audiunt, item: Qui fecerit uoluntatem meam cognoſcet ex doctrina,*
Ioan. 17. *utrũ ſit ex Deo: inter alia (nam & alios quoq; ſenſus hic locus recipit) perſuaſum nobis uoluit, illuſtri fide, & ſanctimonia ornatos, dum externũ fidei magiſtrum audiunt, haud difficulter ſecernere, ſua ne is inculcet, & falſa, an Chriſti, & ſana. Adeſt enim eiuſmodi Chriſti ſpiritus, quo interius colluſtrati, nullo ferè negotio cœleſtes illapſus à Dæmonis ſuggeſtionibus, & Pſeudapoſtolos à ueris magiſtris dijudicant.*

XVII. Idem

XVII. *Idem ferè dicendum eſt ad illud: Spiritalis dijudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Dijudicat enim omnia cognitu neceſſaria, non ſimpliciter omnia. Nã quod ſpiritalis non omnia ſimpliciter intelligat, dijudicet, aut ſecernat, id ex diuinis literis, & quotidiano uſu adeò manifeſtum eſt, ut amentiæ ſit apertæ, ex locis paulò ante allegatis, oppoſitum uel probabiliter uelle inferre.* 1. Corin. 2.

XVIII. *At enim ſi ſpiritalis intelligit omnia, ſi dijudicat omnia, ſi interna unctio docet omnia, qua mente Eliſæus, et Iob inſcitiam ſuam profitentur? Quo modo ſancti Apoſtoli, quæ à Chriſto dicebantur, non aſſequebantur? Quomodo Petrus, & Ioannes nondum intelligebant Scripturas? Quomodo Chriſtus diſcipulis ſuis aperuit Scripturarum ſenſum? Cur Paulus Corinthijs iam iuſtificatis non porrexit ſolidum cibum tanquam perfectis, ſed lac tanquam paruulis?* 4. Reg. 4. Iob 42. Luc. 8. Luc. 24. 1. Corinth. 3.

XIX. *Per perfectos autem, inter quos ille ſapientiam loquebatur, eos accepiſſe uidetur, qui ſpiritus Apoſtolici participes effecti, præ cæteris in fide ſolidi, & in Chriſtiana Philoſophia erant eruditi. Quamuis ne ipſi quidem ſimpliciter intelligerent omnia: Niſi quis forſan ad eam uæſaniam deuenerit, ut exiſtimet per eundem illum ſpiritum eoſdem euaſiſſe Geometras, Phyſicos, Metaphyſicos, Aſtrologos, reliquarumq; omnium externarum diſciplinarum gnaros.*

XX. *Quid? quod ne omnia quidem ſpiritalia tenerent, ſed ea duntaxat, quæ ad ſuam, ſuorumq; ſalutem habebantur neceſſaria. Et hoc ipſum rurſum non ſimpliciter, ſed adhibitis ijs præſidijs externis, ſine quibus interna uis ſpiritus inefficax, &ocioſa plerunq; exiſtit. Nam, ut nuperrimè inſinuebamus, ſi internum Spiritus ſancti magiſterium ſimpliciter præſtaret omnia, nullo opus eſſet Doctore, nullo concionatore, nullo ſtudio, nullo labore: id quod dictu ineptum eſt, & à communi ſenſu omninò alienum.*

XXI. *Quid ergo uult Apoſtolus dum ait: Spiritalis dijudicat omnia? Non hoc ſanè quod hinc infert aduerſarius, ſed aliud ab eo longè diuerſum. Vult enim internum Spiritus lumen pijs hominibus indicare, an ea, quæ à Doctore publicè proponuntur, uel in eiuſdẽ cõmentarijs fortè leguntur, eis conſentanea ſunt, quæ à Chriſto, & Apoſtolis ſunt tradita, uel unà cum Baptiſmo, uel ante ſuſceptum Baptiſmum ex fidi Pædagogi ore hauſta: tum uerò à bonóne Spiritu excitentur interni animorum motus, an à malo. Atq; ita non ſolùm aduerſus Cacodæmonis technas, & impoſturas eos præmunit, uerum etiam contra falſam Antichriſti, & ſectatorum eius doctrinam eoſdem inſtruit.* 1. Corinth. 2.



Digitized by Google

## *Authoritatem iudicandi de libris Sacris eſſe penes Eccleſiam Catholicam, eamq; in eiuſmodi iudicio, nec falli, nec falli poſſe. Sectionis quintæ Theſis.*

I. *Cum igitur authoritas iudicandi de Scripturis Canonicis, & alijs fidei controuerſijs neceſſariò ſit penes aliquem: alioquin enim in rebus maximi ponderis perpetuò hæreremus ancipites. Nec ſit penes aliquem priuatum Spiritum, aut hominum cœtum: nec rurſum penes magiſtratum politicum, aut Doctorem quemcunq; priuatum: nec deniq; penes ullam omninò ἀκέφαλον Synodum, neceſſarium eſt, ut ſit penes ſacroſanctam Chriſti Domini Eccleſiam. Hæc enim una eſt, quæ in fidei, & morum doctrina errare non poteſt.*

II. *Dixerim in fidei, & morum quæſtione Chriſti Eccleſiam non errare. Nam non omnia, quæ Eccleſia proponit, aut decernit fidem ſtatim, aut mores concernunt: ſed quædam etiam ius, & externa iudicia. Hæc autem quod hominum allegationibus, & teſtimonijs nitantur, qui falli in ijs poſſunt, quæ affirmant, & uelle eos etiam fallere, quos inſtruunt, iuſta Dei prouidentia non ſemper ſunt certa. Quò etiam fit, ut eiuſmodi iudicia non omnes obligent promiſcuè, ſed eos tantùm, quibus certò perſuaſum eſt, quæ ad Eccleſiam delata ſunt, & ab eadem iudicata, uera eſſe. At uerò morum & fidei decreta, in utroq; foro obſtringunt omnes omninò fideles.*

III. *Cæterùm dum Chriſti Eccleſiam, quòd ad fidem attinet, erroris expertem dicimus, non eſt id ita accipiendum, quaſi illa omnia comperta habeat, quæ ſecundum ſe ſunt uera, certa, uel euidentia. Multa enim ſunt, quæ etiamnum ignorat: alia, de quibus ancipitem ſententiam tenet: alia, quæ probabiliter tantum credit, ac proponit: ut uirgini Matri gratiam, perinde ac Adamo, & Euæ, in ortu ſuo fuiſſe concreatam, atq; ideò originis labis fuiſſe exortem. Omnes omnino homines aliquando eſſe morituros, & alia quædam eiuſmodi: ſed quod nihil ipſa teneat, aut publicè tanquam fidei dogma proponat, quod reuera eiuſmodi non ſit.*

IIII. *Etenim cum ipſa unica Chriſti Domini noſtri ſponſa exiſtat, per fidem, & charitatem in omne æuum ipſi deſponſata, fieri nullo modo poteſt, ut ſacroſanctum coniugium illud ſaluum, ac incolume inter utrunq; conſiſtat, ſi ipſa fidei, & per conſequens charitatis, (nam etſi fides abſq; charitate, charitas tamen abſq; fide menti inſidere non poteſt) naufragium faciat.*

V. Adhæc

V. *Ad hæc cum iuxta Apoſtoli doctrinam Eccleſia ſit corpus Chriſti, à ſuo capite moueatur, regatur, & impellatur oportet. Monet autem, & impellit ipſe illam per fidem, & charitatem, & alia Spiritus ſancti chariſmata. Quamobrem ſi in fidei, uel morum integritate erraret, error neceſſario in ipſummet Chriſtum, tanquam in primarium authorem, redundaret.* Ad Ephe. 1.

VI. *Denuum ſi quid falſi doceret Eccleſia, tanquam fidei dogma, neq; Spiritum ſanctum æternum in ſe haberet permanentem: nec ipſe Spiritus omnem ipſam doceret ueritatem: nec ipſa columna, & firmamentum ueritatis, nec petra, aduerſus quam inferorum portæ præualere nequeunt, cenſenda eſſet. Sed nec ullum omnino, aut fidei dogma, aut fidei ſymbolum haberemus certum. Nam horum omnium certitudo, & ueritas unius Eccleſiæ certitudine, & ueritate nititur.* Ioan. 14. Ioan 16. 1. Timoth. 3. Matth. 16.

VII. *Nec mirum profectò, aut prodigioſum alicubi uideri debet Eccleſiæ iudicium, in tam arduis rebus, nec labi, nec falli. Nam ſi Spiritus ſanctus Apoſtolos, & diſcipulos Chriſti, qui homines erant ſuapte natura mendaces, ita rexit, & gubernauit, ut nunquam, nec ſcribendo, nec docendo errarent, aut hallucinarentur (id quod occulta, & inuiſibili quadam ui, abſq; ullo alio miraculo efficere ipſe potuit facilimè) cur negemus à Deo ita dirigi, & gubernari Eccleſiam, eiusq; præfectos, quicunq; illi tandem ſint, qui Eccleſiæ nomine intelliguntur, ut neminem unquam fallant, cùm ſe hoc præſtiturum diſertis ille, & claris uerbis toties promiſerit? An abbreuiatam putabimus manum Domini? aut debilitatam eiuſdem uirtutem? aut minori ipſi curæ eſſe Eccleſiam, quæ nunc eſt, quam uetus illa fuit olim?*

VIII. *Etenim cùm promiſſiones Chriſti, de Spiritus ſui præſentia, de inconcuſſæ ueritatis doctrina, non modò ad eam pertineant Eccleſiam, quæ fuit Apoſtolorum ætate, uerum ad eam etiam, quæ iam inde futura erat uſq; ad ſæculi finem, ſtultum eſt credere, aut dicere (id quod phanatici quidam hac tempeſtate dicere, & profiteri non uerentur) Eccleſiam antiquam in fide errare non potuiſſe, modernam autem, aut, quæ hanc ſæculis iam aliquot anteceſſit, uel poſteà futura eſt, errare poſſe.*

IX. *Firma itaq;, & immota ſtet ſententia Eccleſiam uniuerſalem, ad quamcunq; temporis differentiam eam retuleris, in fide, & moribus errare non poſſe, nec unquam hactenus in alterutro lapſam eſſe. Atque ideò conſultiſſimè eos facere, qui de fide grauius impugnati, & corde concipiunt, & ore, ſi opus fuerit, proferunt, ſe id credere, & profiteri, quod credit, & profitetur, una, ſancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.*



Digitized by Google

X. NOMINE *autem Eccleſiæ, quæ de fide, uel moribus abſolutè, ac deliberatè pronuncians non errat, non gregē, aut Eccleſiam aliquā angularem: nec uniuerſum rurſus mortalium omnium cœtum hoc loco accipimus: ſed nobiliſsimum totius* Reip. *Chriſtianæ membrum. Cuiuſmodi utiq; eſt, uel* Pontifex Maximus, *quem Chriſtus uiſibile caput, & fundamentum uiſibilis* Eccleſiæ *ſuæ inſtituit: uel certè congregatio (quod* Concilium *dicitur) eorum, qui nunc Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Prophetarum, Paſtorum, &* Doctorum *munere funguntur: in qua, tanquam caput,* Romanus Pontifex *per ſe, aut per* Legatos *ſuos præſideat.*

XI. *Siue igitur ſupremam hanc authoritatē ſummo* Pontifici *ſoli à* Domino *tributam dicamus: ſiue non illi ſoli, ſed certæ alicui congregationi, cuius ille caput exiſtat, certè ſalua fide negare nequaquam poſſumus, in* Concilio Oecumenico, *in quo ſummus* Pontifex *per ſe, aut per* Vicarios *ſuos præſidet, eam, ueluti in ea congregatione, quæ expreſſam totius* Eccleſiæ *imaginem exprimat, uerè inexiſtere.*

XII. *Porrò autem de harum authoritatum comparatione, utra nimirū altera ſit maior* Concilijne Oecumenici, *an* Pontificis Maximi, *moroſe, ac prolixè hic diſputare non eſt animus. Solum monuerim, qui certi aliquid hac de re, uel diſcere, uel docere uoluerit, eum extrema comparationis huius mēbra, ita conſtituere debere, ut alterum faciat ſolum* Pontificem, *alterum uerò plenarium, ac legetimum* Concilium, *in quo ſummus* Pontifex, *tanquam caput præſideat. Vel ita certè, ut alterum ex illis effingat ſummum* Pontificem *ſolum, alterum uniuerſam Chriſtianorum ſocietatem, ſummo* Pontifice *hinc ſecluſo.*

XIII. *In prima comparatione nulla ferè ſe offert difficultas. Nam etſi non ſit maior ueritas, aut certitudo in toto Cōcilio legitimè congregato, quàm in ſolo* Pontifice, *tamen propter orbis conſenſum, eſt maior in eo authoritas, & maior quoq; ad inducendum, & perſuadendum efficacitas. Eſt enim durè admodum cerebri, ſuperbiq;, & arrogantis ſupercilij, qui maioris facit ſuum priuatum ingenium, & iudicium, quàm totius* Chriſtiani *orbis ſenſum, atq; conſenſum.*

XIIII. *Sed neq; in altera quoq; comparatione, inexplicabilem aliquā difficultatem, aut perplexitatem animaduerto. Certum eſt enim ſupremam, & quaſi* Vicarium *poteſtatis Chriſti in* Eccleſia *authoritatem, penes ſolum ſummum* Pontificem *exiſtere, nullo autem modo in quocunq; alio hominum cœtu, in quo ipſe non adſit, uel cui ipſe tanquam uniuerſalis* Paſtor, *& rector non præſit.*

XV. Certa

Digitized by Google

XV. *Certum eſt nihiloſecius Eccleſiam uniuerſam, nullam omnino uim coërciuam, aut poteſtatem habere in Pontificem Maximum. Nec ullis ipſum legibus ligare poſſe, multò uerò minus à ſummo Pontificatu, à Chriſto ipſi tradito, deijcere. Niſi ea forſan acciderent tempora, ex quorum difficultate hoc ius ad Eccleſiam deuolueretur.*

XVI. *Certum eſt deniq; & apud eos, qui oculos habent, æquè, ac lux ipſa meridiana manifeſtum, ipſum plenarium, & abſolutum Concilium, aliam authoritatem, aut infallibilitatem non habere, quàm eam præciſè, quam à capite ſuo, cui Chriſtus illam promiſit, & præſtat, mutuatur. Quare grauiores Chriſtianæ religionis cõtrouerſias, abſq; eiuſdem ſummi Præſulis authoritate, & approbatione, uelle definire, ac determinare, aliud nihil eſſet, quàm ſe, & uniuerſam Chriſtiani populi ſocietatem apertis errorum, ac hæρέσεων periculis exponere.*

XVII. *Hæc autem Pontificis Maximi authoritas, & in conſtituendis fidei controuerſijs infallibilitas, quandoquidem naturæ uires multis partibus ſuperat, non minus diuina, cœleſtis, ac gratuita cenſenda eſt, quàm poteſtas, quæ per ordinem confertur. Vnde quod per uiſibiles effectus prodere ſe non queat, ut nota ſit hominibus, à Deo Opt. Max. à quo ſolo inſtitui potuit, per uiſibile ſignum confertur: quemadmodum & ipſa quoq; ſacri Ordinis poteſtas, quamuis non eodem modo. Nec enim Cardinales Pontificem Maximum eligentes ad eum ſimpliciter, & abſolutè modum ſe habent, quo Epiſcopi Sacerdotes, uel alios Eccleſiæ miniſtros conſecrantes: ſed eo ferè pacto, quo illi, qui ius Patronatus habent. Hi enim non habent poteſtatem, ut Sacerdotium, aut Epiſcopatum donent, multò uerò minus, ut Sacerdotem, uel Epiſcopum conſecrent: ſed tantùm ut nominent eum, cui à Pontifice conferatur.*

XVIII. *Itaq; legitima Cardinalium electio, eſt ueluti nominatio, & ſignum ſenſile, quo poſito, ſtatim Chriſtus Dominus maximam illam, et Vicariam poteſtatem ſuam, ad regendam Eccleſiam, gratuitò impartitur: id abſq; ulla tamen indelebilis characteris impreſſione. Nam ſi hic character imprimeretur, qualis, cùm odinis poteſtas per Sacramentum confertur, imprimi ſolet, per publicam, ac ſpontaneam renunciationam: per perpetuam μανίαν: per claram, & apertam hæreſin, & alia quædam his cognata, quæ per ipſoſmet Chriſti Vicarios ſpiritu diuino illuſtratos declarata ſunt, omninò tolli, & aboleri non poſſet: poteſt autem, ut fatentur omnes.*



Digitized by Google

XIX. *At contra hæc obijciet hic forſan quiſpiam: Si ſuprema in terris poteſtas, & iuriſdictio eſt penes ſummũ Chriſti Vicarium: nec aliam Concilijũ uniuerſale authoritatem, aut infallibilitatem habet, quàm eam præciſe, quam à ſuo capite mutuatur, ergo legitimum Concilium, in quo Pontifex Maximus præſidet, non maiorem habebit poteſtatem, in difficilibus religionis quæſtionibus definiendis, quàm ſolus Pontifex: atq; ita Oecumenica Cõcilia, quæ à pijs omnibus habentur, et habita ſunt ſemper ſaluberrima, & ſæpè etiam neceſſaria, erunt omninò ſuperuacanea.*

XX. *Ad hoc primò dixerim Pontificem non debere abſq; cõſilio prudentum uirorum, qui exercitatos habeant ſenſus in lege Domini, Eccleſiam adminiſtrare, difficileſq;, ac obſcuras quæſtiones, illas præſertim, quarum determinatio uniuerſum orbem obligant, conſtituere.*

XXI. *Addo deindè Pontificem Maximum non ſemper aliorum Conſilio uti, quaſi eo indigeat, nec ſatis compertum, aut certum habeat, quid de ijs ſtatuere, atq; præcipere debeat, quæ in diſquiſitionem uocantur. Atq; perſæpè quidem illum concedere, ut Concilium conuocetur, quô de fidei dogmatibus diſputetur, quæ certa alioquin ſunt, & indubitata, ea ſolùm de cauſa, ut errores aduerſus illa excitati, Concilij authoritate tollantur. Perrarò nanq;, aut fortè nunquam uſu uenit, ut Catholicorum cauſa Concilium cogeretur, quò nimirum aliquid certi de illis ſtatueretur, de quibus antea anceps, aut dubia apud ipſos erat ſententia, multò uerò minus Pontificis Max. cauſa.*

XXII. *Addo poſtremò Pontificem Maximum cum Concilio generali nihil omnino poſſe, quod non poſſit cum Concilio Sacerdotali. Quare etiam, quæ in quæſtionibus Iuris, & religionis Pontifex cum conſenſu Concilij Sacerdotalis iudicialiter decernit, non minus fidei, & authoritatis apud uiros ſpiritales, et uerè Catholicos habere ſolent, quàm ſi eadem approbante Concilio generali ædidiſſet, aut decreuiſſet.*

XXIII. *Cur ergo Concilium uniuerſale cogitur? ideò ſanè, ut infirmis, & imperfectis, uel in fide uacillantibus, uel omninò etiam deprauatis ſubueniatur: quos certum eſt nulla humana ratione magis adduci poſſe, uel ad deponendos errores, uel ad Catholicam ueritatem conſtanter retinendam, quàm concordi plurimorum ſapientiſſimorum, & grauiſſimorum hominem iudicio, atq; ſententia.*

Omnes

Digitized by Google

## Omnes illos libros, quos in prima diſputationis huius parte, ex Concilio Africano retulimus, & in ſuas claſſes digeſsimus Canonicos eſſe. Sectionis ſextæ Theſis.

I. Oſtenſum eſt, & niſi fallimur, euidenter oſtenſum eſt, Eccleſiam Catholicam in fidei, & religionis quæſtionibus errare non poſſe, eamq; authoritatem, et infallibilitatem promiſsioni D. Petro factæ, maiori ex parte deberi. Nunc proximum eſt, ut paucis quoq; planum faciamus, omnes illos libros, quos diſputationis huius initio Canonicorum nomine deſignauimus, iam olim ab eadem illa Eccleſia, ut eiuſmodi, habitos eſſe.

II. Fiet hoc autem explicatè, & ualidè, ſi quid Oecumenicæ Synodi, uniuerſalem Eccleſiam repræſentantes: tum quid Pontifices Maximi, à quibus hæ omnem, qua pollent, & firmitatem, & authoritatem mutuamur: tùm demum, quid illuſtriores Eccleſiæ Doctores, ac Patres, ea de re memoriæ prodiderint, breuiter hoc loco exponamus.

III. Synodus itaq; Tridentina, cui ob multas, & magnas cauſas, ubi de fidei controuerſijs agitur, primum locum libenter tribuere ſoleo: ſub quartæ Seſsionis initium, de librorum Canonicorum numero hunc in modum concionatur.

Eadem SS. Synodus ſacrorum librorum indicem huic decreto aſſcribendum cenſuit: ne cui dubitatio ſuboriri poßit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiantur. Sunt uerò infrà ſcripti. Teſtamenti ueteris quinq; libri Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Eſter, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Eſaias, Heremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeæ, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuk, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus, & ſecundus.

Teſtamenti noui quatuor Euangelia: ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, et Ioannem. Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti. Quatuordecim Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli, ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Collocenſes, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apo-



Digitized by Google

*ſtoli duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi Apoſtoli una, Iudæ Apoſtoli una, Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.*

IIII. *Et ne quis libros ordine hic enumeratos ita recipiat, ut tamen partes aliquas, ut ſpurias, ac nothas ex iiſdem reijciat, continuo ſubdit. Si quis autem libros ipſos integros, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in ueteri uulgata Latina æditione habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit. Hactenus Synodus Tridentina, cui per omnia conſonat Florentina, magna utriuſq; Eccleſiæ, Græcæ, inquam, & Latinæ frequentia, & ſolennitate annos aliquot ante Lutheri ortum celebrata. Ne quis forte ueteratoriè anathematiſmum hunc in Lutheri odium æditum cauilletur.*

V. *Habet autem Synodus Florentina hunc in modum. Septimò decernimus unum, & eundem Deum ueteris, & noui Teſtamenti: quoniam eodem Spiritu inſpirante, utriuſq; Teſtamenti ſancti locuti ſunt, quorum libros ſuſcipit, & ueneratur Eccleſia, qui titulis ſequentibus continentur. Quinq; Moyſi, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion, Ioſue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdras, Neemias &c. Nullum enim ex illis omnibus, quos ex Tridentinæ Synodi indicè paulò antè retulimus, prætermittit.*

VI. *Sed & nongentos plus minus annos, antè hanc Florentinam Synodū, Concilij Carthaginēſis tertij Patres, inter quos & D. Auguſtinus quoq;, ut Luna inter minora ſydera, eluxit, hos omnes, & ſingulos inter diuinos, & ſacros recenſuit, hoc uno tantum dempto, quod Baruch tanquam Hieremianæ Prophetiæ appendicem (unde etiam Chryſoſtomus, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Ambroſius, Sixtus, Felix, Pelagius, PPP. & alij complures Patres, atq; Pontifices, ſub nomine Hieremiæ Prophetam hunc citare ſolent) ab Hieremia non ſeiungit, ait enim: Placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur, ſub nomine diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Geneſis, Exodus, Leuiticus, &c.*

VII. *Inter Pontifices porrò maximos, qui ex inſtituto Canonicorum librorum Elenchos ædiderunt, primò hic nobis ſe offert Clemens, eius appellationis primus: niſi quis forſan, non Clementem, ſed Apoſtolos indicis huius authores eſſe tueri malit: extat enim hic Canon, inter cæteros Apoſtolorum Canones. Habet autem, ſiue Clementis, ſiue Apoſtolorum ſit, hunc in modum: Sunt nobis omnibus Clericis, ſimul & Laicis uenerandi et ſacri libri, ueteris quidem Teſtamenti Moyſis quinq;, Geneſis, Exodus, Leuiticus &c. Conuenit*

enim

*enim cum ſuprà enumeratis. Nam etſi in uulgatis quibuſdam exemplaribus Iudith, Tobias, Salomonis ſapientia, & Ioannis Apocalypſis deſiderentur, in emendatioribus tamen nullus ex omnibus abeſſe deprehenditur.*

VIII. *Clementi accedit Innocentius eius nominis primus: accedit eidē etiam Gelaſius cum ſeptuaginta Epiſcopis. Qui (inquit Innocentius ad Exuperium Epiſcopum Toleſanum ſcribens) libri recipiantur in Canone ſanctarum Scripturarum breuis annexus oſtendit. Hæc ſunt ergo quæ deſiderata uoce moneri uoluiſti, Moyſis libri quinq;, Ieſu naue, & Iudicum, Ruth, Regnorum 4. Prophetarum 16. Salomonis 5. Pſalterium: Item hiſtoriarum Iob liber 1. Tobiæ 1. Eſter 1. Iudith 1. Machab. 2. Eſdræ 2. Paralip. 2. Itē noui Teſtamenti Euangeliorum libri 4. Pauli Apoſtoli Epiſtolæ 14. Epiſtolæ Ioannis 3. Epiſtolæ Petri 2, Epiſtola Iudæ, Epiſtola Iacobi. Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis.*

IX. *Eoſdem omninò, tametſi non eodem ordine, recenſet & Gelaſius quoq;. Galaſij porrò decreto, præter Zozimum, & Leonem quartum, accedunt illi omnes Antiſtites, & Romanæ Eccleſiæ Pontifices, qui Concilia, ubi bi libri, ut ſacri, recepti ſunt, ſuo calculo approbarūt: qui utiq;, nec eruditiōe & ſanctimonia extiſtunt obſcuri, nec numero pauci.*

X. *Præterirem hic, poſt tot pontificum, & generalium Conciliorum decreta & teſtimonia, Auguſtinum, Iſidorum, & alios ueteres Eccleſiæ Catholicæ Patres, tanquam teſtes ad rem præſentem minimè neceſſarios: niſi eâ Sectariorum cæcitas, & in Romanos Pontifices eſſet rabies, ut maioris plærunq; faciant unius cuiuſpiam priuati Doctoris ſententiam, quàm ſummi Pontificis, uel uniuerſalis Eccleſiæ definitionem. Cum tamen, ut antè oſtenſum eſt, priuatorum Doctorum quantumlibet excellentium ſententiæ, non conſtituant dogma, ſed probabilem tantùm opinionem.*

XI. *Auguſtinus igitur libro quem de doctrina Chriſtiana edidit, de ſacrorum librorum numero, eiuſmodi ſententiam promit: Totus Scripturarum Canon his libris continetur: Quinq; Moyſeos, id eſt, Geneſi, Exodo etc. Vno libro Ieſu naue, uno Iudicum, uno libello, qui appellatur Ruth, quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non conſequentibus, ſed quaſi à latere adiunctis, ſimulq; pergentibus. Hæc eſt Hiſtoria, quæ ſibimet annexa tempora continet, atq; ordinem rerum.* Lib. 2. cap. 8.

XII. *Sunt aliæ tanq̄ ex diuerſo ordine, quæ neq; huic ordini, neq; inter ſe cōnectuntur, ſicut eſt Iob, Tobias, Eſter, Iudith, Machabæorū libri duo, et Eſdræ duo, qui magis ſubſeq uidētur ordinatā illam hiſtoriā uſq; ad Regnorū,*



Digitized by Google

*uel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetiæ, in quibus Dauid liber unus Pſalmorum, Salomonis tres. Nam duo illi libri, unus qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis dicuntur, qui tamen, quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt.*

*Reliqua ſunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati ſunt, duodecim Prophetarum libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſeiuncti ſunt, pro uno habentur, quorum Prophetarum nomina ſunt hæc: Oſee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Abacuk, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ ſunt maiorū uoluminum, Eſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris ueteris Teſtamēti terminatur authoritas. Si Baruch ab Hieremia ſeiungas, erūt 45.*

XIII. *Noui autem quatuor libris Euangelij, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: quatuordecim Epiſtolis Pauli, Petri duabus, tribus Ioannis, una Iudæ, una Iacobi, Actibus Apoſtolorum libro uno, et Apocalypſis Ioannis libro uno. Hactenus Auguſtinus, cui per omnia adſtipulatur Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus. Nam tribus librorum ordinibus, qui apud Hebræos certò, ac indubitatò Canonici habentur, accuratè enumeratis ſubdit.*

*Quartus eſt apud nos ordo ueteris Teſtamenti eorum librorum, qui in Canone Hebraico non ſunt, quorum primus Sapientiæ liber eſt, ſecundus Eccleſiaſticus, tertius Thobias, quartus Iudith, quintus & ſextus Machabæorum, quos licet Iudæi inter Apocrypha ſeparent, Eccleſia tamen Chriſti inter diuinos libros honorat, & prædicat. In nouo autem Teſtamento ſunt duo ordines. Vnus Euangelicus, in quo ſunt Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. Secundus Apoſtolicus, in quo ſunt, Paulus in quatuordecim Epiſtolis, Petrus in duabus, Ioannes in tribus, Iacobus, & Iudas in ſingulis, Actus Apoſtolorum, & Apocalypſis Ioannis.*

XIIII. *Horum Patrum, & aliorum præterea multorum, quos breuitatis ſtudio hic mittimus, ſententiam, et authoritatem ualidè confirmat uſus, & praxis Catholicæ Eccleſiæ. Siquidem nullus omninò inter illos extat, quos ſuprà Hyſterocanonicorum nomine deſignauimus, quem ipſa ſtatis anni temporibus, ut ſacrū, & diuinū, in ſacris, ac diuinis non uſurpet, & multò iam ante nō uſurparit. Atqui uniuerſæ Scripturæ authoritas in apertum diſcrimen adduceretur, ſi ea librum pro diuino, ac Canonico uſurparet, qui reipſa eiuſmodi non eſſet.*

XV. At

Digitized by Google

XV. At de Thobia, inquis, & Iudith, & Machabæorum, & quorundam aliorum librorum fide, & authoritate, aliquando dubitatum, & diſputatum eſt, idq; non ſolùm ab Hæreticis, uerū etiam à primæ notæ Catholicis? Perperam ergo in eorum album redacti ſunt, de quorum ueritate nulla unquam extitit, aut diſputatio, aut dubitatio? Eſt ſanè, at nulla interim eſt conſecutio. Fuit quandoq; de hac, uel illa re. dogmate, uel uolumine dubitatum, uel diſputatum, ergo ſemper de ea dubitare, uel diſputare oportet.

XVI. Fuit dubitatum, & diſputatum non ſolùm ab Hæreticis, & Sectarijs, uerum etiam ab Apoſtolis ſanctis de Chriſti Domini noſtri reſurrectione: à nonnullis etiam de eiuſdem poteſtate, & diuinitate: de Angelorum natura, ſtatu, conditione; de animæ immortalitate, de eiuſdem ſtatu poſt hanc uitam, deq; alijs fidei dogmatis non paucis, de quibus tamen hac tempeſtate dubitare, aut, tanquam de re etiamnum dubia, diſputare magnum eſſet piaculum. Creuit enim Eccleſia hominum more, ut ætate, ità ſcientia quoq;, & iudicio. Quàm multa non ſolùm ius, uerum etiam fidem, & religionem concernentia definita, declarata, & explicata ſunt, in Concilijs poſterioribus, uel hac noſtra quoq; memoria, quæ olim omninò latebant, uel certè ſubdubia, & controuerſa erant.

XVII. Quod igitur in alijs non paucis magni ponderis rebus accidit, hoc ipſum, & in quibuſdam quoq; libris ſacris uſuuenit. Quidam namq; ex illis, quos ſuprà ad ſecundam Canonicorum claſſem reiecimus, priori illo, & rudiori adhuc ſæculo, etſi non paſſim apud omnes, apud nonnullos tamen eo ferè loco, & numero habebantur, quo hac ætate tertius, & quartus Eſdræ. Mox tamen Eccleſiæ iudicio, & diſcentium ſtudio paulatim gliſcente, illi ipſi libri haud indigni uiſi ſunt, qui publicè Catechumenis præponerentur. Hinc qui ex Catechumenorum ſchola ad Eccleſiæ pluteos euocarentur: ita tamen, ut ad Chriſtiani populi ædificationem, & informationem, per id tempus adhiberentur familiarius, quàm ad dogmatum confirmationem. Tandem, quod iam plenam ſuæ ueritatis, & ſanctitatis fidem feciſſe uiderentur, magno totius orbis conſenſu inter ſcripta certò Canonica cenſi ſunt. Siue id primò factum fuerit in Concilio Niceno primo: ſiue in Carthaginenſi tertio: ſiue in alio quocunq; ante utrunq; celebrato. Nam, ut ex ijs manifeſtum eſt, quæ ſectione proxima in medium allata ſunt, ætate D. Auguſtini omnes ſimpliciter inter diuinos, & Canonicos habebantur.

XVIII. Proceſſit autem cunctantius ad publicam quorundam librorum canonizationem Eccleſia, cùm propter alia, quæ hic referre non attinet, tum maximè propter ſummam rei grauitatem, & periculi magnitudi-

nem, ſi quid hic fortè incautius pronunciaretur. Nam cum ſacra Scriptura ſit quaſi præcipuum Chriſtianæ religionis fundamentum, non ſolùm libera debet eſſe ab omni errore, et falſitate, uerum etiam ab omni erroris, & falſitatis ſuſpicione. Atqui de ea ab omni errore immunitate, in re præſertim obſcura, & iampridem dubia, abſq; acri, & diuturna inquiſitione certò conſtare non poteſt.

XIX. Augebat rei difficultatem ingens Tyrannorum uis, ac Paganorum in Chriſtianos rabies. Hæc fera enim bellua primis illis ſæculis ubiq; deſæuiens, nec locum ſat tutum concedebat Eccleſiæ Proceribus publicè conueniendi, et de his, alijsq; ſimilibus religionis cauſis pacatè cognoſcendi: nec ullam rurſum Eccleſiæ Doctoribus uel priuatim, quæ in religione ambigua uidebantur, diſcutiendi opportunitatem. Quod ſi cui priuato opportunum otium, & locus eam ad rem non incommodus caſu obtigiſſet, isq; poſt operoſam diſcuſſionem nil niſi ſacrum, ac diuinum in hoc, uel illo uolumine deprehendiſſet: adhuc tamen ſua id ſententia publicè ſacrum, ac diuinum proclamare non audebat, nec etiam debebat, quod quoſdam ex ueteribus pro indubitato ſacro dudum ante non habuiſſe certò cognoſcebat.

XX. Sed & pace Eccleſiæ utcunq; iam reddita, non ſtatim, aut rei huiuſce inueſtigationi inſudatum, aut à nonnullorum ueterum iudicio diſceſſum eſt. Malebãt enim illius ætatis Patres pro ſua ſingulari modeſtia, candore, ac religione, aliena colere, Maiorumq; ueſtigijs inſiſtere, quàm propria ſenſa arrogantius in medium proferre, aut ingrata nouitate turbas ciere. Quales, ut author eſt inter alios D. Auguſtinus, non paruas apud quoſdam mouit D. Hieronymus noua Bibliorum interpretatione, re alioqui ſanctiſſima, & Damaſi Pont. Max. authoritate ſuſcepta, atq; perfecta.

XXI. Veruntamen in Concilio Niceno primo, aliquid ex inſtituto ea de re pronunciatum eſſe, & D. Hieronymus in Iudith προοιμιάζων diſertè affirmat: & res, quæ ibi tractabatur planè perſuadet. Erat enim ibi Patribus certamen cum Arrio, de Chriſti Domini noſtri diuinitate: hoc autem certamen, illa præſertim ætate, nulla re, aut citius, aut fælicius confici poterat, quàm diuinarum literarum authoritate. At fruſtrà prius Scripturis aduerſarium preſſeris, adorſusúe fueris, quàm de earum fide, & authoritate certò, ac publicè conſtiterit.

XXII. Hieronymi in Iudith præfatio hunc in modum habet: Quoniam hunc librum (Iudith) Synodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum computaſſe legitur, acquieui poſtulationi ueſtræ, imò exactioni. Atqui nulla apparet ratio, cur Patres illi Iudith potius, inter cæteras Scripturas

ſacras

ſacras cenſuerint, quàm alia; quæ Iudæi tanquam Apocryphâ ad Canonem ſuum non admittebant. Siue ob id hoc acciderit, quòd, & lingua peregrinia, & incerto authore, & poſt Canonem ad myſticum literarum numerum æditum in lucem prodierant: ſiue quod morales gnomas, aut res tantùm geſtas, quæ non ſatis certi diuinitatis indices haberi ſolent, exponerent: ſiue ob id tandem, quòd ea complecteremur, quæ nuper admodum acciderant. Iudæi namque uetuſta tantùm adorantes, pleraq; recentia contemptui ducebant.

XXIII. Sed & aliud quoq; eſt, hoc, uel illud uolumen ad Canonem nō admittere, aliud ut nothum, aut ſpurium, aut pſeudepigraphon condemnare. Innumeri in cœleſti gloria cùm Chriſto triumphant Sancti, quos Eccleſia nō canonizauit, hoc eſt, in Diuorum numerum non retulit, nec referet unquam, quos ob id tamen non condemnat, abſit. Ad propoſitum licet Iudæi Iudith, Tobiam, & alios quoſdam inter Canonicos non habebant, tantùm tamen aberat, uti illos ueluti falſos condemnarent, ut pleroſq; omnes magni facerent: quoſdam etiam, ut ſacros colerent, tametſi infra Protocanonicos.

XXIIII. Teſtatum hoc nobis facit Hieronymus ad Heliodorum, & Chromatium ſcribens, ait enim: Mirari non deſino exactionis ueſtræ inſtantiam. Exigitis enim librum Chaldæo ſermone conſcriptum, ad Latinum ſtylum traham: librum utique Thobiæ, quem Hebræi de Catalogo diuinarum Scripturarum ſecantes, his, quæ Hagiographa memorant, mancipaunt, hæc Hieronymus. Ex quibus duo colligere licet: alterum eſt Tobiæ librum aliquando inter Canonicos fuiſſe habitū, etiam apud Iudæos: ſiquidem non ſecatur, aut à corpore diuellitur, quod antè corporis pars, aut membrum non exiſtebat: alterum eſt paris etiam tum authoritatis apud eoſdem Iudæos extitiſſe cùm Iob, Pſalterio, & alijs nonnullis, quæ à Iudæis inter Hagiographa cenſentur.

XXV. Sed ad id, quod paulò antè urgebamus: Si Nicæna Synodus inter Canonicos libros recepit Iudith, ut recepiſſe teſtatur Hier. multò ſanè magis, Salomonis ſapientiam, epiſtolam ad Hebræos, & reliquos, quos ſuprà inter Hyſterocanonicos percenſuimus, recepiſſe credendū eſt. Extant in his enim multò euidentiora, multoq; illuſtriora diuinitatis Chriſti teſtimonia, & catholicæ ueritatis indicia, quàm in Iudith, ut quæ nudam tantum rei geſtæ narrationem complectatur.

XXVI. Nō extat iam ille Canō, nec mirū, cùm iniuriæ temporū, et inſanæ Hæreticorū furiæ, ex omnibus, tertiā uix partem reliquā nobis fecrint. Extat tñ Canon Concilij Carthaginenſis tertij, quē probabile eſt admodū ſuum hinc ortum

Digitized by Google

*ortum traxiſſe: cùm non uſq; adeò multæ annorum λιτςαι inter duo illa Concilia fluxerint. Atq; hoc breuiter reſponſum ſit ad illud, quod uniuerſè, ac generatim contra ſecundæ claßis libros obiectabatur. Ea porrò omnia, & ſingula proponere, ac diluere, quæ contra ſingulos allegant Euangelici, id omnino ſuperuacaneum ducimus. Nam præterquam quod ea omnia leuia ſunt, nec digna ſatis, quæ in graui diſputatione proponantur, ſunt etiam iamdudum ante ab alijs, quantùm ſat eſt, refutata.*

## *Nec ipſam per ſe Scripturam, nec priuatum quorumlibet iudicium, nec Græcæ, Hebräicæúe linguæ uſum, nec aliud quippiam eiuſmodi, certũ, ac irrefragabilem diuinarum literarum interpretem eſſe: ſed uel Eccleſiam Catholicam, uel ſummum eiuſdem Hierarcham. Sectionis ſeptimæ Theſis.*

*I. Quoniam quidem eiuſdem eſſe creditur Scripturas nothas, à germanis, & natiuis ſecernere, eaſdemq́;, ubi obſcuram ſententiam offerunt, certò interpretari, quæ ſectionis huius propria ſunt, paucis expedire licebit. Et quidem Scripturã ipſam, non poſſe legitimum ſui ipſius interpretẽ eſſe, id omnis, & quæſtionis, & diſputationis expers eſt. Nam interpretis, ut & iudicis quoq;, eſt litibus, & controuerſijs, quæ ex ſcripto, uel lege oriuntur, finem imponere. Atqui Scripturæ, cùm pleriſq; in locis ſint ſubobſcuræ, & in uarios ſenſus trahi queant, litium, & controuerſiarum materiam plurimum interdum augent, tantum abeſt, ut minuant perpetuò.*

*II. Eſt nobis uetus Teſtamentum commune cum Iudæis, utrunq; cum Hæreticis: at raro, uel fortè nũquam uſu uenit, ut, uel obſtinatus Iudæus, aut pertinax Hæreticus ex Scripturis reuinceretur. Quæ namq; eorũ eſt prauitas, & in detorquendis Scripturis impudentia, Scripturas eludunt Scripturis, & impugnant acriter. Quam multis Sacrarum literarum teſtimonijs Arrius oſtendere enixus eſt, uerbum æterno Patri, non eſſe ὁμοούσιον. Eunomius Spiritumſanctum non eſſe Deum. Pelagius per ſe omnia poſſe liberum arbitrium. Nouatus poſt uiolatum Baptiſmum, nullum ſupereſſe in Eccleſia ſalutis remedium. Lutherus ſolam per ſe fidem ſat eſſe ad uitam. Imò uerò qua Scriptura Orthodoxus, & Chriſto initiatus conſtituit Catholicam ueritatem, illa ipſa interdum eandem impugnat Hæreticus, uel Iudæus.*

III. Præ-

III. Præterea cùm Scriptura ſacra ſuam ipſius αὐθεντίαν, ac diuinitatem per ſe,& ex ſe probare nequeat (ad hoc enim opus eſt ipſi præſidio externo) portentò non abſimile uideri poßit, aſſerere ipſam per ſe idoneum, ac certum ſui ipſius interpretem eſſe. Eſt enim non parum maioris negotij, ac difficultatis legem ferre, uel firmare, quàm iam latam, uel firmatam interpretari: cùm hoc citra iuriſdictionẽ interdum fieri queat, illud nequaquam.

IIII. Adde Scripturam interpretem eſſe inanimum, atq; ideò locum cum loco, ſententiam cum ſententia, interpretationem cum interpretatione, præcedentia cum conſequentibus conferre non poſſe. Hoc autem conferendi ſtudium, ad germanam loci obſcuri expoſitionem eſt cumprimis neceſſarium: & non ſolùm in Gymnaſijs, uerum etiam in Eccleſiaſticis Comitijs perquam uſitatum.

V. Demum in ueteri lege ordinariè non iudicabat Lex, aut Scriptura de lege, uel Scriptura, Scripturæúe, uel legis ſententia: ſed Sacerdos ſummus, uel iudex per id tempus plebi præfectus. Idem & in politicis quoq; obſeruari uidemus: nec enim iudicant hic leges ſecundum ſe de legibus, obſcuriſue legum ſenſis, ſed iudices, et legitimi magiſtratus. Id ipſum ergo, niſi fortè perpetuò pendere, fluctuare, ac lites fouere uelimus, & in Scriptura quoq; Teſtamentaria, & Chriſti Domini noſtri lege obſeruemus oportet.

VI. Sed neque priuatus quoque cuiuſquam Spiritus, eſt fidus ſatis Scripturarum interpres. Primo enim nulli de eiuſmodi priuato Spiritu certò conſtare poteſt, ne ipſi quidem habenti: at publicè, & paßim de legis mente conſtet, neceſſum eſt. Deinde ſi priuatum uniuſcuiuſq; ſenſum, uel ſpiritum, ut legitimum legis, Scripturæúe interpretem ſemel admiſerimus, tot è ueſtigio exorientur interpretationes, quot ſunt eiuſmodi ſpiritus. Tot autem ſunt ſpiritus, quot capita. Tandem Reſpub: Moſaica obortas legis controuerſias non deferebat ad priuatos ſpiritus, hoc eſt, ad priuatorum cognitionem, uel iudicium, ſed ad Synagogæ proceres. Et in Actis quæſtio de legalibus orta, non aliô delata eſt, quàm ad Apoſtolorum ſenatũ. Et in ciuilibus lites de legis intellectu, uel alia de re natæ, non referuntur ad cuiuſcunq; conditionis priuatos (ut qui iudiciaria poteſtate deſtituantur) ſed ad Dynaſtas, & publicos iuſtitiæ miniſtros. Atqui Eccleſiæ forum, non minus debet eſſe ordinatum, quàm Moſaicum, uel politicum.

VII. Sunt, qui eam expoſitionem legitimam ſentiant, quam ſua cuiq; ſuggerit innata ratio. Sed hi æquè, aut etiam amplius delirant, atq; illi, quos proximè refutauimus. Siquidem humana ratio, & fallax eſt, & lubrica, & inconſtans, & in pleriſq; uehementer caligans, & demum talis, quæ de Chri-

*ſtiana religione, & fidei myſterijs per ſe rectè iudicare non poteſt: quippè quæ humanæ rationis aciem multis partibus excedant.*

VIII. *Non deſunt, qui ex fontibus, hoc eſt, ex earum linguarum cognitione, quibus ſacræ literæ initio æditæ ſunt: uel ex Rabbinorũ commentarijs, oẽs quæſtiones, et controuerſias, quæ de Scripturis, earúmue intellectu oriũtur, tolli, ac ſopiri poſſe commendant. At ne iſti quoq; conſentaneè ſatis loquuntur: ſiquidem fontes eaſdem penè difficultates offerunt, quos ipſi riuuli. Extant namq; in contextu Hebræo quàm plurimæ uoces æquiuocæ, ſententiæ ambiguæ, nonnullæ etiam contrariæ. Quemadmodum abundè id nobis teſtatum faciunt æditiones Chaldaicæ, Græcæ, ac Latinæ uariæ, quæ proximè inde profluxerunt. Nam cùm plurimæ extent, uix ulla eſt, quæ cum altera per omnia conſpiret.*

IX. *Quod ſi ex Rabbinorũ commentis, aut gloſſematis eiuſmodi difficultates, ac controuerſias definire uoles, fœdius erres oportet. Sunt enim plerīq; eorum indocti, ſpiritu & gratia Dei deſtituti, uelamen denſum oculis impoſitum habentes, erga Chriſti nomen peßimè affecti, in Chriſtum, & ſacroſanctam eius legem ſacrilegè blaſphemi, regno, ſacrificio, & omni deniq; cœleſti bono maiori ex parte deſtituti.*

X. *Verùm enimuerò licet fontium, hoc eſt, Græci, Hebraici, uel Chaldaici ſermonis peritia, per ſe, ſi cætera deſint, non ſit idoneus Scripturarum interpres, ad exactiorem tamen eorum cognitionem, quæ in ſacris traduntur, & exponuntur, plurimum conferre ſolet. Primò quidem, ut ea plenè aſſequâre, quæ emphaſin habent, uel ab interprete ambiguè, uel obſcurè, uel æquiuocè, uel minus propriè, uel omnino etiam ἀνερμήνευτα relicta ſunt.*

XI. *Tum ut ea, quæ librariorum incuria, uel Hæreticorum malitia in uulgatis exemplaribus deprauata, hoc eſt, aucta, mutilata, uel immutata ſunt, reſtituas. Hinc, ut fidei myſteria ſub literæ cortice occultè latentia, locupletius ediſſeras: ſiquidem interpres unius uocis unam duntaxat reddit notionem, uox autẽ una multa interdum, & ea quidem ad rem quàm maximè opportuna denotat. Tùm rurſum, ut tropos, ſimilitudines, parœmias, et alias id genus locutiones, uel dilucidius exponas, uel clarius percipias. Nam quod in uno ſermone prouerbiali ſchemate effertur, hoc in altero nudo, ac ſimplici. Et quod in uno figuratum eſt, hoc in altero ἀσχηματισμένον eſt. Habetq; id locum uel maximè in populari Hebræorum oratione: ſcatet enim eorum ſermo admirabilibus, & à communi uſu planè alienis locutionum generibus, ac formis.*

XII. Tùm

XII. *Tùm demum (nec enim omnes rei huius uſus perſequi eſt animus) ut cum ætatis huius Hæreticis liberius, atq; utilius congrediâre. Hi enim, ubi primum ueritatis luce ſe premi, et quaſi perſtringi animaduertunt, ſtatim ad fontes, hoc eſt, ad Græcum, uel Hebræum contextum appellitant. Vbi tum Catholicus, ſi non aliquem huius rei guſtum perceperit (nam exacta linguarum peregrinarum notitia, inter tot ſtudia magis neceſſaria, perpaucis obtingere aſſolet) cum nonnullo pudore, & infirmorum offenſione hæreat, oportet.*

XIII. *Vnde non poſſum eorum ſententiam non uehementer improbare, qui ſtudium hoc, ut inutile neglectui, uel etiam contemptui ducentes, nihil iam Græcè, Hebraicè uel Syracè æditum extare, quod iam olim latinitate donatum non ſit, falſò cauillantur. Nam etſi quod dicunt, uerum eſſet, ut apertè falſum eſt, adhuc tamen omnes illæ rationes, & commoditates, quas paulò antè obiter aßignauimus, firmiter obtinent.*

XIIII. *Attamen ne quis hîc erret, peregrinarum linguarum cognitio, ad exactam Scripturarum cognitionem, & ad cætera, quæ huc pertinent, ita utilis, & opportuna eſt, ut tamen eam ad rem non ſit abſolutè neceſſaria. Extant enim hoc tempore, et iam indè ab initio Eccleſiæ extiterunt non pauci doctißimi Theologi, quorum pleriq; nullam omnino callebant linguam externam. Imò uerò inter omnes illuſtriores Eccleſiæ Latinæ Patres, ſolus Hieronymus trium, uel quatuor linguarum peritus extitiſſe creditur. Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, Proſper, Maximus, &c. ut Græcè nouerint, certè Hebraici ſermonis magna ex parte ignari fuerunt. Inter Græcos uerò, præter Origenem, Damaſcenum, & paucos quoſdam alios, nulli Hebraicè eruditi extitiſſe feruntur: & tamen hi omnes diuinas literas fœlicißimè interpretati ſunt. Perutilis ergo ad Scripturarum interpretationem eſt linguarum cognitio, non tamen abſolutè neceſſaria.*

XV. *CVM ergo Scriptura ipſa non ſit certus, ac indubitatus ſui ipſius interpres: nec priuatus cuiuſquam ſpiritus: nec linguarum, quibus initio tradita eſt Scriptura, cognitio: nec Hebræorum Rabbinorum commentatio, conſequens ſit eiuſmodi interpretem eſſe Eccleſiam Catholicam: uel uniuerſale Concilium Eccleſiam repræſentans: uel certè ſummum Pontificem, à quo Eccleſia ipſa definiendi accipit certitudinem: cùm non reſtent alij, ad quos hoc interpretandi munus deferri poßit.*



Digitized by Google

XVI. *Quæ dicimus uera eſſe comperies. ſiue Apoſtolorum doctrinam, & Chriſti inſtitutionem conſulas: ſiue ueterum Sanctorum ſententias: ſiue uſum perpetuò in Eccleſia obſeruatum: ſiue quid fidei unitas, & animorum in uno ſpiritu coniunctio, ad quam tanquam ad finem deſtinantur omnia: ſiue deniq; quid ius ipſum, & ratio optimæ, & ſapientiſſimæ gubernationis Eccleſiæ poſtulet, diligenter expendas, & introſpicias. Ad quos enim has interpretandi partes, hanc grauiſſimam, & periculoſiſſimam definiendi prouinciam rectius detuleris, quàm ad eos, penes quos non ſolùm ſupremum totius Chriſtianæ Reipub. iudicium, uerum etiam certa, ac infallibilis iudiciorum norma exiſtit?*

XVII. *Cæterum dum hic aſſeritur Eccleſiam legitimam Scripturarum magiſtram, ac interpretem eſſe, non eſt id ita accipiendum, quaſi eius ſolius partes ſint Scripturas quouis modo interpretari. Nec eo rurſum in ſenſu, quaſi quicquid Eccleſia extra, uel intra iudicium, ad ueritatem aliquam firmandam ex Scripturis allegat, id certam ſtatim legem, uel ſententiam ſtatuat, undè nulli citra noxam, uel errorem recedere liceat: neutrum enim horum hic aſſeritur, nec cum ueritate aſſeri poteſt. Certum eſt namq; non ſolum Eccleſiam, uel Pontificem Scripturas interpretari, uerum etiam Theologos, & Eccleſiarum Rectores, & Paſtores.*

XVIII. *Certum eſt nihiloſecius Concilium Oecumenicum, uel Pontificem Maximum aliquem Scripturæ locum in hoc, uel illo ſenſu uſurpaſſe, uel ad quodcũq; fidei dogma confirmandũ obiter allegaſſe, id fidei uim, aut legis robur nõ ſemper obtinere: ita ut Chriſti ſacris imbutũ, niſi errare uolet, id ſimpliciter admittere oporteat. Quamuis etiam ab eo, quod ſic uno quaſi aſpectu, & obiter expoſitum eſt, temerè recedere nulli conueniat.*

XIX. *Quod hic autem aſſerimus, iterumq; atq; iterum monemus, & inculcamus eſt, ſolius Pontificis Maximi, uel uniuerſalis Synodi eſſe, ea Scripturæ loca, in quibus dogmatis alicuius neruus cardóue uerſatur, certò interpretari. Rurſum utriuſq; interpretationem tum demum certam, ac infallibilem eſſe, certæq; perindè legis, uel decreti, à quo nulli impunè recedere fas ſit, uim obtinere, cùm ea de cauſa conuentum eſt, ut certi quippiam de aliquo ambiguo Scripturæ loco contra Paganos, Iudæos, uel Hæreticos decernatur.*

XX. *Et quoniam ea interpretandi uis, ac certitudo eſt penes ſolam Eccleſiam, uel ſummum eiuſdem Paſtorem, nullo autem modo penes priuatos Doctores, uel Paſtores, fit ut uno in ſenſu unus tantum ſit Scripturarum interpres, in altero uerò multi. Vnus eſt enim, cuius interpretatio ad modum*



Digitized by Google

modum iam expoſitum facta, ut certiſsima, ſimpliciter obligat: multi quorum expoſitio non ſimpliciter ligat, ſed tantum ſecundum quid. Temeritatis enim eſſet non paruæ ab eo recedere, quod tota antiquitas, aut maior eius pars defendiſſet: eſto Eccleſia iſtud ut dogma nondum recepiſſet.

XXI. Quod ſi quando inter plures eiuſdem loci ſenſus, ecquis ex pluribus, ut ſanior, recipi debeat, ambigatur: ſi nihil ſe offert, cur hunc magis admittere expediat, quàm illum, eum cæteris anteponas, non qui plures, uulgares præſertim, authores habet, ſed eum, qui cum præcedentibus, & conſequentibus, alijsq́; Scripturæ locis magis conſentit. Imò uerò tantùm abeſt, ut in ijs, quæ per ſe certa, aut ab Eccleſia determinata, aut communi Sanctorum traditione comprobata non ſunt, clauſis oculis, abſq; ullo omnino ſtudio, iudicio, uel inquiſitione multitudinis ſenſu niti quempiam oporteat, ut ſæpe ijdem etiam apertè obniti liceat.

XXII. Debet, inquam, qui Theologi non mali nomen ſuſtinere uult, in dubijs non id ſemper probare, quod multi unum aliquem, ut fieri quandoq; ſolet, ſine iudicio ſecuti probarunt, uel docuerunt: ſed loca cum locis, exempla cum exemplaribus, præcedentia cum ſequentibus, interpretationes cum interpretationibus diligenter conferre, ac tum demum, quod ad authoris mentem, ac ſententiam quàm maximè accedere uidetur in medium proferre: ſiue id cùm multitudinis ſenſu conſentiat, ſiue ab eodem diſſentiat.

XXIII. Hoc ideò impenſius inculcandum exiſtimaui, quod reipſa comperiam eam eſſe Sectariorum impudentiam, ac ſycophantiam, ut ineptam uniuſcuiuſpiam, & interdum obſcuriſsimi homuncionis expoſitionem, perinde trahant, lacerent, ac traducant, ac ſi uniuerſa Eccleſia id ſentiat, & publicè doceat, quod hic, uel ille ſomniando eſt interpretatus. Poſſem plurima eius rei exempla in medium proferre, niſi Sycophantia hæc uulgò eſſet notiſsima.

## *Scripturas eſſe difficiles, eiusq́; difficultatis plures extare cauſas, Sectionis octauæ Theſis.*

I. At obijcere hic nobis ſolent, qui æquè ſtultè, ac arroganter θεοδίδακτοι dici, ac haberi uolunt: Sublatis iam olim ueteris Teſtamenti umbris, uelóq; à ſummo deorſum uſq; iam diſciſſo, omnia hic omnibus patere, & obuia eſſe. Tum lucem, ut uideatur externo præſidio non egere, Scripturam autem diuinam, & lucem, eſſe & lucernam, iuxta illud: Lucerna pedibus

Pſal.118. *meis uerbum tuum, item: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*
Pſal.18. *Tùm demum Euangelium, atq; ideò reliquas omnes Scripturas, ijs tantum opertas, atq; obſcuras eſſe, qui pereunt, hoc eſt, inſana illorum interpreta-*
2.Cor.4. *tione Catholicis, non omnia nuda fide, uel inani fiducia metientibus.*

II. *Sed hæc, & ſi qua eius generis ſunt alia, & friuola ſunt, & ſæpius iam antè à noſtris, hoc eſt, ab orthodoxis refutata. Allatum eſt quidem non parum lucis Scripturis per expletam Chriſti Oeconomiam, Apoſtolorum prædicationem, & pios ſanctorum Patrum ſudores: hæc tamen non omnem ſtatim, quam Scripturæ offerebant, difficultatem ſuſtulerunt. Appelantur rurſum illæ lumen, & nonnunquam etiam lucerna, non quod acceſſu, intellectúue ſint ubiq; faciles, ſed quod commodè propoſitæ, diuinoq; ſpiritu uegetatæ, diſcuſſis mentis tenebris, interiorem hominem illuſtrent, inflammentq;. Tandem ſi illis Euangelium opertum, hoc eſt, obſcurum eſt, qui pereunt, non poterit profectò Hæreticis, quocunq; demum nomine cenſeantur, non maximè opertum eſſe: ut qui extra Deum, & ueræ fidei lucem, extraq; Chriſtianæ ſocietatis communionem, & extra omnem ſalutis ſemitam miſerrimè oberrent.*

III. *Porrò autem Scripturas non eſſe faciles, id inter alios, abundè nobis teſtatum faciunt Sectarum anteſignani. Nam cùm iam indè ab Apoſtolorum tempore, diuerſiſſimæ in Eccleſia extiterint Sectæ, & Hæreſes (ſicut & hac ipſa quoq; ætate) uix ulla unquam tamen inter illas adeò abſurda extitit, aut etiamnum exiſtit, quæ ſe enixè aliqua Scripturarum authoritate munire, & ornare non contenderet, & etiam nunc munire, & ornare enixè non contendat.*

IIII. *At dicere ſolent ætatis huius Hæretici: ueteres illos Sectarios, homines fuiſſe bardos, ac ſtupidos: neq; qui abditam in Scripturis ueritatem eruere hinc poſſent ſatis idoneos: ſe autem inſigni mentis acumine, atq; eruditione præditos, nec parum præterea largo diuini ſpiritus hauſtu potatos, ſecretiſſima, & abſtruſiſſima quæq; hic uidere, & nullo quaſi negotio deprehendere, ac in lucem proferre poſſe.*

V. *Ponatur, quod priſcis Hæreticis imponitur, tametſi falſum. Plus enim mundanæ prudentiæ, uerſutiæ, & acuminis inerat in uno Arrio, Eunomio, Pelagio, Manichæo, quàm in omnibus horum temporum Sectarijs, ſimul in unum conflatis. Nam cùm ea ætas Theologos tuliſſet longè doctiſſimos; tanta tamen per id tempus Hæreticorum erat uerſutia, tanta diſputandi acrimonia, tanta in omni diſciplinarum genere exercitatio, ut certamen publicum*

*blicum cum illis krituri Catholici Patres, non minus oratione, & diuinæ opis imploratione ſeſe munirent, quàm ſtudio, aut Scripturarum lectione.*

VI. *Ponatur, inquam, ueteres Hæreſiarchas mortalium omnium extitiſſe ſtupidiſſimos, ſceleratiſſimos, impuriſſimos: modernos contrà acutiſſimos, eruditiſſimos, quin & ſua quoque opinione, ſanctiſſimos (nam re ipſa in hominem Hæreticum nulla cadit, aut uera ſanctimonia, aut uera uirtus, etiamſi uulgò Apoſtolis ipſis ſanctior habeatur) qui fit, obſecro, ut inter homines tanta eruditione, acumine, & ſanctitate ornatos, tot penè extent Sectæ, tot de præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, ac fidei myſterijs controuerſiæ, quot prouinciæ? quot ciuitates? quot familiæ? imò uerò quot perſonæ? Conſtat enim in eadem familia, ſi aliquanto numeroſior fuerit, diuerſos interdum de fide & religione errores foueri, ac opiniones defendi.*

VII. *Cur de uno, eodemq; Scripturæ loco, tot ab ipſis proferuntur diuerſæ, & quaſi ex diametro inter ſe pugnantes ſententiæ? Cur una Secta peſſimè execratur alteram? mordaciſſimè inſectatur alteram? plus quàm hoſtiliter deſæuit in alteram? & hæc omnia ex Scripturis? Quod autem non de leuibus rebus inter ipſos ſit certamen, ſed de ſummis fidei capitibus, uel pueri in Scholis norunt. Et ſi negant, ſuis ipſorum ſcriptis apertè reuinci poſſunt.*

VIII. *Adhæc ſi Scripturæ adeò ſunt faciles, adeò omnibus obuiæ, & expoſitæ, ut iſti nugantur: Cur neminem ante Lutherum eas, aut rectè intellexiſſe, aut commodè interpretatum eſſe concionantur? Cur tot, & tantos commentarios in earum explicationem quotidiè moliuntur? Cur nullum mortalium citra peregrinarum linguarum, & earum præcipuè, quibus primò in lucem editæ ſunt, cognitionem, eas aſſequi poſſe mentiuntur? Cur doctiſſimi illi Theologi Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, de inexplicabilibus earum difficultatibus ſubindè conqueruntur? Cur ſe mutuò conſulunt, & de uero Scripturarum ſenſu inter ſe conferunt? Cur ſe excuſant, & quod in multis fortè ob rei difficultatem hallucinati ſunt, ueniam efflagitant? Cur tandem Apoſtolorum Coriphæus Epiſtolas Pauli difficilia quædam, quæ etiam improbis ruinæ occaſionem præbeāt, continere prædicat?*

IX. *Præterea ſi tam plana eſt Scripturarū ſententia, quàm planā illam cōfingūt Sectarij, quæro ab illis, Origenéſne, Pātenus, Clemēs Ale. Didymus, Baſ. Greg. Naz. Hier. Ambr. Aug. Proſper, Max. alijq; innumeri doctiſſimi*

*ſanctiſ-*

*ſanctiſsimiq; Patres, qui poſt abſolutam externarum ſcientiarum cognitionem, totam ferè uitam in diuinarum literarum ſtudio, diſcuſsione, atq; interpretatione inſumpſerunt, ueram earum ſententiam aſſecuti ſint, an ſecus? Quod ſi tanto ſtudio, ac molimine uerum earum ſenſum aſſecuti non ſunt, faciles profectò dici nullo modo poterunt. Sin autem aſſecuti ſunt, cur, quæſo, eorum interpretationem, ut ueram, et orthodoxam non recipiunt? Siquidem nulla omnino de fide, aut religione extat hoc tempore controuerſia, quã ſecundum Scripturam, recentiores Theologi ex Sanctorum Patrum monumentis perſpicuè non probauerint, ac conſtituerint, ſubindeq; non probent, ac conſtituant.*

X. *Deniq; ſi tanta eſt Scripturarum facilitas, tantaq; earundem perſpicuitas, cur Apoſtoli diuino Spiritu pleni, omniumq; linguarũ peritia ornati, et ſi qui alij inſigniter* θεοδίδακτοι, *legalium ceſſationem, Gentium uocationem, atq; ideò Iudæorum reiectionem, uix multos tandem poſt annos in ijs latitare deprehenderunt? Nam, ut de Petro, quid linteum cœlo dimiſſum ſibi uellet, ignorante nihil dicamus: certè primores Iudæorum ad fidem Chriſtiani conuerſi grauiter cum D. Paulo, quod à lege Moſaica defectionem doceret, et cum Gentibus conſuetudinem haberet, expoſtulaſſe: nec non ad Iudaicos ritus, puta ad purificationem, ad uerticis deraſionem, & alia quædam eiuſmodi legalia tantum non inuitum impuliſſe legimus: atqui duo de uiginti minimum iam tum anni à Chriſti aſcenſione fluxerant. In cauſa itaq; maneat Scripturas diuinas intellectu difficiles eſſe: tametſi id non in ſingulis periodis, aut paragraphis.*

XI. CAETERVM *hæc Scripturarum difficultas non unam, aut ſimplicem aliquam cauſam habet, ſed uariam, ac multiplicem. Primò pleraq; ſacratiſsimæ fidei noſtræ myſteria adeò recondita, & quaſi ſepulta hic ſub litera latitant, ut uix oculatiſsimus quiſq; eruere hinc queat, etiamſi pius alioqui ſit, nec uulgaribus Spiritus ſancti donis præditus. Habebant ſanè Patres ſub lege Moſaica ætatem agentes, Moyſen, Prophetas, & Pſalmos nobiſcum communes, quos etiam ſtudioſiſsimè uoluebant, & tamen perpaucos ex illis Trinitatis myſterium, Chriſti diuinitatem, uniuerſamq; eiuſdem Oeconomiam, Iudæorum repudium, impij hominis iuſtificationem, aliaq; id genus fidei arcana hic deprehendiſſe conſtat. De Hæreticis, et palpabili eorum cæcitate, dum Scripturas legunt, multis hic diſſerere non attinet.*

XII. *Eandem porrò difficultatem auget ſermo peregrinus, quo ſacra initio tradita ſunt. Nam, ut nuperrimè dicebamus, quæuis lingua huic, uel illi genti, uel populo uernacula, peculiares quaſdam loquendi formas ſortiri*

*ſolet,*

Digitized by Google

*ſolet, quas altera proinde ab eo diuerſa, ut maximè uelit, perfectè aſſequi non poteſt: tum quædam rurſum prouerbia, parœmias, ſimilitudines, uel diſsimilitudines in alia omnino non receptas.*

XIII. *Auget eandem tertio perpetua quædam rerum, & uocum uiciſsitudo. Multæ uoces apud Græcos, Latinos, Hebræos, Syros, Arabes, & alias nationes olim uſitatæ, nunc abierunt in deſuetudinem. Multa contrà hoc tempore receptæ, quondam erant ignotæ. Et ut uoces, ita & ipſæ quoq; res perpetuæ cuidam mutationi uidentur obnoxiæ: non illæ ſolum, quæ arte conſtant, quæ demutantur in horas, ſed illæ quoq;, quæ natura. Nam & illa quoq;, quaſi tædio affecta, & ueterum pertæſa, quædā ſubinde noua molitur.*

XIIII. *Sed & una, & eadem uoce multa interdum, ac diuerſa deſignantur. Et cùm locum id habeat in omni pene ſermone, & labio, tum maximè in eo, quo totum uetus Teſtamentum maiori ex parte initio exaratum eſt, hoc eſt, in Hebræo. Eſt enim eius gentis idioma uſq; adeò ieiunum, & uocum inops, ut nulla propemodum apud ipſam extet dictio, quæ una exiſtens, non multarum rerum ſit ſymbolum. Hæc autem tam frequens homonymia, non ſolùm in prophanis, uerùm etiam in ſacris, magnam procreat obſcuritatem. Vnde etiam interpretes tam Græci, quàm Latini, quàm etiam cuiuſcunq; alterius populi, uel labij, qui ſacra Biblia interpretati ſunt, in quibuſdam plurimum inter ſe diſsident.*

XV. *Non paruas quartò, uel etiam quintò offundunt hic tenebras tropi, à communi loquendi uſu prorſus alieni. Hic ligna creant rēgem: hic beati cenſentur, qui ſeipſos euellunt, caſtrantúe: qui manus, pedes, uel oculos ſcandalizantes abſcindunt, uel euellunt: qui Patrem, Matrem, nec non & ſeipſos quoq; oderunt. Hic Deus induitur manus, pedes, caput, oculos, & cætera humani corporis membra, & lineamenta deferens, iraſcens item, ac dolens. Hic aſtra Deum laudant, corui inuocant, montes ſaliunt, &c. Quæ omnia ſi ſecundum literæ ſuperficiem accipiantur, ſicut nonnullos accepiſſe conſtat, non poterunt profectò non ingentes errores parere.*

XVI. *Tum mira rurſum ſenſuum uarietas, & ſententiarum diſsimilitudo. Siquidem unus idemq; Scripturæ locus plures ſæpè admittit ſenſus. Vnum literalem, alterum myſticum: & hunc rurſum diuerſum, puta allegoricum, anagogicum, tropologicum, &c. Eſt autem non parui negotij eiuſmodi ſenſus ex litera eruere: quæ & ipſa quoq; non ſemper eſt una, & ſimplex, ſed diuerſa interdum, & multiplex.*

XVII. *Sed & plurimæ quoq;, & apertæ antilogiæ, & antinomiæ, hoc eſt, ſententiæ planè inter ſe oppoſitæ, hic paſsim occurrunt. Et quamuis*

hæ omnes inter ſe conciliari queant, & ſoleant: ardui tamen negotij eſt ita conciliare omnia, ut omnis omninò tollatur lectori, uel auditori ſcrupulus. De ſola Euangeliorum conciliatione ſcriptum eſt à quibuſdam copioſè. Quod ſi omnia Scripturæ loca, quæ inter ſe pugnare uidētur, conciliare uoles, plurimum operæ inſumas, oportet.

XVIII. Oſtendunt eandem difficultatem, & confirmant tandem uariæ Sanctorum expoſitiones, uariæq; eorundem de Scripturis quibuſdam ſententiæ, & diſputationes. Tum cordatiorum quorundam Hæreticorum exomologeſes. Fatentur enim, qui inter ipſos minus inſaniunt, ut quiſpiam ſacras literas commodè exponat, ſolideq; intelligat, opus eſſe peculiari Dei ſpiritu, dono interpretationis, linguarum cognitione, Patrum lectione, & alijs præterea multis, quæ communiter citra ſudorem, & puluerem non obtingunt.

XIX. Quæ hactenus expoſuimus, haud obſcurè euincunt, uulgarium Bibliorum lectionē Laicis, planè quæ idiotis nō ſatis tutò permitti: atq; ideò Epiſcopos, nō inuidia, aut maleuolentia (ut ſeditioſi quinti Euangelij miniſtri blaterant) ſed ſingulari prudentia, amore, & beneuolentia motos, non omnibus popularibus promiſcuè eorum uſum, & lectionem indulgere, ſed certis, certoq; cum delectu. Conſtat enim quotidiana experientia multò plures uertiginis ſpiritum hinc haurire, & iam antè hauſiſſe, quàm, uel peccatorum odium, uel uirtutum ſtudium.

XX. Hortantur quidem ex ueteribus nonnulli fidelem populum ad Scripturarum lectionem, ſed pium, ſed Catholicum, ſed docilem, ſed minimè curioſum: cuiuſmodi hoc noſtro ſæculo nō eſt admodum frequens: idq; eo tempore, quo ſolis Epiſcopis publicè concionandi ius erat: atq; adeò quo pauciſſimæ habebantur publicæ conciones. Erat enim unus tantùm Epiſcopus in una ciuitate, ſi populoſior erat, & quandoq; ne unus quidem: atq; ideò unus tantùm Eccleſiaſtes.

## *Alia Eccleſiæ, alia rurſum ratione, & conſideratione, maiorem eſſe authoritatem Scripturæ. Sectionis nonæ Theſis.*

I. Quoniam uerò commonſtratum eſt utrunq;, & Scripturas approbare, & eaſdem, ubi neceſſitas poſtulat, interpretari, munus eſſe Eccleſiæ proprium: inſurgunt hic, cùm Philiſtæi omnes, tum nonnulli quoq; de agmine Iſraëlitico, & contrà ſuperius aſſerta, argumētantur hunc in modū. Si Eccleſiæ eſt

coiuro-

*controuerſias, quæ circa Scripturas, earúmue ſententiam interdum oboriuntur, componere, ac profligare: eaſdemq́; calculo ſuo approbare, maior ergo erit authoritas Eccleſiæ, quàm Scripturæ? prout maius id eſſe ſolet, quod approbat, confirmat, uel benedicit, eò quòd approbatur, confirmatur, uel benedicitur.*

II. *Quicquid ſit de re ipſa, de qua alios pronunciare malo, quàm ipſe aliquid temerè effutire, certè argumentatio hæc non eſt ualida. Nam eadem prorſus argumentandi forma inferretur, qui Regem, uel Imperatorem in hominum turba conſtitutum, peregrino cuipiam certò oſtenderet, maiorem eſſe Rege, uel Imperatore. Sacerdotes item, qui conſecrant Euchariſtiam: Suffraganeos, qui Metropolitanum: Cardinales Epiſcopos, qui Pontificē Maximum, maiores eſſe rebus, quas conſecrant.*

III. *Imò uerò Ioannem Baptiſtam, uel Eccleſiam maiorem eſſe Chriſto, uel Spiritu ſancto. Nam hæc contra Eunomium definiuit Spiritum ſanctum uerum eſſe Deum, filium Patri per omnia æqualem, & ὁμοούσιον: ille uerò Chriſtum uerum eſſe agnum illum, qui ad hoc in carnem uenerat, quò mundi peccatum aboleret. Et tamen nemo, niſi inſanus planè, aut mente captus, aut Eccleſiam maiorem dixerit Spiritu ſancto, aut Ioannem Chriſto.*

IIII. *Sed etſi alicui homini eam Deus impartiretur gratiam, mentiſue firmitatem: quam utiq;, citra miraculum, ſi uellet, impartiri poſſet, ut quicquid diceret, aut pronunciaret, id totum citra controuerſiam uerum eſſet, & is poſteà hanc, uel illā Scripturā: hanc, in qua renati ſumus, et uiuimus, Eccleſiam: uel aliquam aliam rem, de qua quæſtio erat, ueram, aut diuinam eſſe pronunciaret: non ſtatim is maioris authoritatis cenſendus eſſet Eccleſia, uel Scriptura, uel alia huiuſmodi re, quam ipſe talem indicaſſet.*

V. *Porrò autem utrius authoritas amplior ſit, Eccleſiæne, an Scripturæ, id propter diuerſas opiniones, & moroſas ea de re diſputationes, non facile eſt ſtatuere, nec fortè tutum ſatis abſolutè pronunciare. Ad opinantes autem quod ſpectat: ſunt, qui Scripturam ſimpliciter anteponant Eccleſiæ: ſunt contra, qui Eccleſiam Scripturæ: ſunt tandem, qui quaſi mediam inter duas has extremas ingreſſi uiam, Eccleſiam latè acceptam, Scripturam excellere: preſsè autem, & ſtrictè ſumptam, à Scriptura excelli aſſeuerant.*

VI. *Fuſè accepta eos omnes complectitur, qui ſunt, fueruntq́; ab orbis exordio, & futuri ſunt uſque ad ſeculi finem: & per conſequens ipſos quoq; ſacrorum librorum ſcriptores. Strictè autem eos tandem ambitu ſuo*

concludit, qui in Concilio generali ſuffragium definitiuum habent, ut ſunt Epiſcopi, & reliqui Eccleſiarum præfecti.

VII. Hæretici plerią; omnes Scripturam anteponunt Eccleſiæ: atq; ideò authoritatem Scripturæ authoritati Eccleſiæ. Et ne temerè id facere uideamur, allegant Papam cum omnibus Epiſcopis errare poſſe, cùm homines ſint erroribus, & miſerijs obnoxij: Scripturam autem nequaquam, ut quæ proximè non ab alio, quàm à Spirituſancto dictata ſit.

VIII. Sed hæc ratio friuola eſt, & merito in authorum caput ab Orthodoxis iam olim retorta. Nam ſi ideò maior eſt uis Scripturæ, quàm Eccleſiæ, quòd qui Eccleſiam conſtituunt, ſunt homines erroribus, & infirmitatibus obſtricti, poterit eodem argumento, & ſacrorum quoq; uoluminum authoritas infringi. Nam & horum quoq; proximi authores fuerunt homines, eiſdem infirmitatibus, & miſerijs circundati, quibus illi, qui Eccleſiam abſoluunt.

IX. At librorum Scriptores, inquiunt illi, quod certa quadam Spiritus ſancti ope niterentur, ab omni errore, & lapſus periculo fuère certi? Idem & nos ipſi quoq; de Pontifice Maximo, & Epiſcopis, & cæteris, qui Eccleſiæ corpus conſtituunt: quando de ijs, quæ fidem, uel mores concernunt, publicè, ac ſolenniter pronunciant, aſſeueramus.

X. Catholici uerò, qui Scripturam Eccleſiæ proponunt, non ob id proponunt, quòd homines ſint humanis infirmitatibus preſſi, qui Eccleſiam efficiunt: ſed quòd maior illis, quorum opera ſcripta Biblia in lucem prodière, Spiritus ſancti affluentia, & peculiarior quædam eiuſdem, ne uel in minimo hallucinarentur, Χειραγωγία, & manutenentia obtigerit, quàm communiter Pontificibus, & reliquis Eccleſiæ Prælatis obtingere ſoleat. Erant enim illi immediati Dei Opt. Max. amanuenſes, & propria eiuſdem organa.

XI. Et quamuis ſimul etiam eſſent illuſtria quædam Eccleſiæ membra, hoc tamen neceſſariò nō erant, ut Dei amanuenſes, uel Spiritusſancti organa erant. Poterat enim Deus per quoſcunq; ſceleratos uiſum ipſi fuiſſet, uoluntatem ſuam mundo patefacere, ſuamq; legem exprimere. Sicut per Caipham, & Balaam improbos alioqui, & nequam homines, maxima quædam conſilij ſui ſecreta orbi patefacere non dubitauit.

Ioan. 11. Num. 24.

XII. Saluo itaq; per omnia, non ſolùm Eccleſiæ Catholicæ, ſed omniū etiam rectius hac in re ſententiam iudicio, citra ullam temeritatem defendi poſſe exiſtimo, Eccleſiam, & Scripturam ad eum ferè modum ſe habere, quo ſe habent, quæ ſe mutuò excedunt, & à ſe inuicem uiciſſim exceduntur. Eccleſia enim ſine ſcripto uerbo eſſe poteſt, & plurimos annos citra ullam omnino

Digitized by Google

*nino Scripturam ſacram non infœliciter ſtetit. Siquidem à mundi exordio uſq; ad populi Iſraëlitici exitum de Aegypto (quod ſpatium illud ferme exæquat, aut etiam ſuperat, quod inde uſq; ad hanc noſtram ætatem conſequutum eſt) nihil omnino in ſacris æditum extabat. Sed & non pauci quoq; fluxerunt anni, antequam, quæ Seruator noſter Chriſtus fecerat, & docuerat, in literas, & monumenta redigerentur.*

XIII. *Scriptura autem, ut diuina, & ſacra, citra externum Eccleſiæ iudicium, eſſe queat, ut reuera eſt: nam Eccleſia ſua definitione ſacram, aut diuinam non efficit, ſed tantum eiuſmodi eſſe decernit, publiceq; teſtatum facit: attamen niſi Eccleſia ſuam hic authoritatem, & calculum interponat, publicè pro huiuſmodi haberi non conſueuit. Notum eſt enim illud D. Auguſt. contra Manich. Euangelio non crederem, niſi me commoueret Eccleſiæ authoritas.*

XIIII. *At uerò licet Eccleſia cenſeat, publiceq; hanc, uel illam Scripturam talem, puta ſacram, uel diuinam eſſe teſtatum faciat, non ob id tamen, ut hera Scripturam regit: aut ullam ipſi legem tanquam ancillæ imponit. Quin contra potius Scriptura regit, & gubernat Eccleſiam: uel Deus potius iuxta Scripturam per adminiſtros ſuos regit Eccleſiam. Debet enim uniuerſum Eccleſiæ regimen Scripturæ eſſe commenſuratum, uel ſaltem ipſi non eſſe diſſentaneum: ut quæ expreſſum gerat diuinæ erga nos uoluntatis typum, ac Symbolum.*

XV: *Addo his, ſi idem eſt prorſus authoritas, quod dicentis ueritas, uel ueracitas: ut communiter defenditur, maiorem omnino diuinarum Scripturarum authoritatem eſſe, authoritate Eccleſiæ. Quia uox Scripturæ, eſt uox Dei immediate: Deus enim loquitur nobis per Scripturas: uox autem Eccleſiæ, eſt uox hominum, tametſi non quorumlibet, aut uulgarium, ſed ſpiritum Dei, & infallibilem eiuſdem ſpiritus aſſiſtentium habentium. Vnde ſi, quod fieri nullo modo poteſt, in aliquo diſſiderent Eccleſia, et Scriptura, huius potius, quàm illius ſententia ſtandum nobis, ac nitendum eſſet.*

XVI. *At obijciunt hic quidam. Deus per ſe non ſcripſit? Næ: attaman per ſe dictauit, quod in idem redit, ac ſi per ſeipſum ſcripſiſſet. Quare licet diuina Scriptura hominum miniſterio ſit excepta, non eſt tamen hominum, aut humana, ſed ſimpliciter diuina: atq; ideò homo eam abrogare, aut immutare, aut quæ illa abſolutè præcipit, relaxare nequaquam poteſt. Quæ tamen omnia, pro temporum, ac locorum ratione poſſet Eccleſia, ſi eius authoritas ſimpliciter maior eſſet authoritate Scripturæ.*

XVII. At uerò Decreta, ac Leges Eccleſiæ,ut ſimpliciter,& abſolutè Eccleſiæ,hoc eſt,poſitiuæ ſunt: & humanæ ſunt, & rectè humanæ appellantur. Quare etiam per Eccleſiam mutari, et omnino etiam abrogari poſſunt, & pro temporum qualitate ſubinde mutantur, & abrogantur. Hactenus tamen hæc ipſa quoq; ſtatuta,uel præcepta diuina dici poſſunt, quatenus Magiſtratus Eccleſiaſticus in ferendis legibus diuina authoritate fulcitur. Sed quoniam hoc ipſi cum Magiſtratu politico in<sup></sup> partem commune eſt,uſus non habet,ut eiuſmodi præcepta,leges, ſtatuta, uel decreta diuinorum nomine appellemus.

XVIII. Sed contra hæc eiuſmodi ratio inſtitui poſſet: Eccleſia in præceptis Apoſtolicis nonnunquam diſpenſat, etiam in ijs, quæ extant in Scri-
1. Timoth. 3. ptura? Conſtat namq; legem de bigamis, de percuſſoribus, de ſanguine &
Ad Tit. 1. ſuffocato,deq; alijs id genus nonnullis latam, & literis conſignatam,uel non
Actor. 15. ſeruari,uel non conſtanter ſeruari. Quare Eccleſia non tantum magiſtralem, uel, ut alij loquuntur,miniſterialem in Scripturam authoritatem habet,ſed δεσποτικὴν quoq;,hoc eſt,abſolutè plenam:qualem nimirum Dominus habere ſolet in ſeruum.

XIX. Negari non poteſt, Eccleſiam in eiuſmodi ſtatutis diſpenſare poſſe,& reipſa interdum diſpenſaſſe: Verum eiuſmodi ſtatuta, ac leges non ſunt ſimpliciter diuina, in omne æuum uim & robur obtinentia: ſed,ut reliqua poſitiua,pro loco tantum,& tempore obligantia. Qualia proinde præcepta Apoſtoli non ediderunt, ut Chriſti amanuenſes, uel ut legis eiuſdem promulgatores,uel ſi hoc quoq;, non tamen præciſè: ſed ut paſtores,& Eccleſiarum Rectores.

XX. Etenim ut duplicia extant præcepta diuina: quædam temporalia,ut in ueteri Teſtamento omnia iudicialia, & cæremonialia: quædam uerò æterna,ut moralia, & alia quædam fidem, & nouæ legis Sacramenta concernentia, quæ proinde mutationem non recipiunt: ita inter Apoſtolica, quædam ſunt omnino indiſpenſabilia: ut illa, quæ à Chriſto ſimpliciter proponenda, & promulganda acceperant: alia uero, quæ mutationem,& diſpenſationem pro rerum ſtatu admittunt: ut illa omnia, quæ ipſi propria authoritate pro pace,& tranquillitate Eccleſiæ, publiciq; commodi promotione inſtituerant.

XXI. Obijcis tertio,& poſtremo: Eccleſia æquè tuta eſt ab errore, atq; Scriptura, ergo ambæ paris authoritatis, hoc eſt, ueracitatis exiſtunt. Neutra errare poteſt,nec Eccleſia,nec Scriptura, eò tamē minus Scriptura: quò immediatius à ſupremo, & ſempiterno ueritatis profluxit ſpiritu.

XXII. Non

Digitized by Google

XXII. Non recipit quidē ueritas, uel ueracitas (cùm ſit quædā relatio) ſecundum ſe intenſionē, aut remiſſionē: at utrunq; tamen ſecundū fundamentum recipere contingit: ſiue id ſit ſapientia, & bonitas: ſiue aliud ab utroq; diuerſum. Certum eſt enim eò unumquemlibet eſſe ueraciorem, quo uir eſt, & melior, & ſapientior. Et quoniam Scripturarum author Deus, & ſummè bonus, & ſummè rurſum ſapiens exiſtit, fit, ut nunquā is fallere, nec unquam rurſum falli queat: atq; ideò, ut neceſſario uerax ſemper exiſtat. Omnis autem homo ex ſe mendax eſt, ſola autem gratia Dei uerax.

XXIII. Verum enimuero ſiue Eccleſia ſit infra Scripturam: ſiue Scriptura infra Eccleſiam: ſiue pari paſſu procedant ambæ, certum & indubitatum eſt, manetq; ſemper, legitimum Scripturarum iudicem, ac interpretem eſſe Eccleſiam Catholicam. Certum eſt nihiloſecius permagnam eſſe Scripturæ authoritatem, hoc eſt, præter cætera, ueracitatem: ut quæ, ad modum iam expoſitum, à prima, & eſſentiali ueritate proximè dimanarit.

## In fidei, & religionis controuerſijs, ualidum, ex ueteri, uulgataq; noſtra æditione, argumentum duci: ex reliquis uerò, ubi ab hac diſsident, uel nullum, uel tantùm probabile. Sectionis decimæ, & poſtremæ Theſis.

I. Magnum operæ eſt precium, ut in Eccleſia Catholica una extet Bibliorum æditio, citra omnem controuerſiam certa, & uera: à qua proinde nulli omnino in fidei controuerſijs, & grauioribus morum, et religionis quæſtionibus, ad aliam quamcunq; appellare liceat.

II. Cur non plures? quia niſi hoc, ut immotum, ac certum in Eccleſia principium ſemel ſtatuatur, nullum unquam inter hæreticos, & Catholicos diſsidium componi: nulla contentio de fide oborta ſopori: nullus in hæreſi deprehenſus, erroris, hæréſeωſue dilucidè poterit reuinci.

III. Etenim ubi primum ex eorum grege quiſpiam ſe animaduerterit premi, ad eam ſtatim æditionem prouocabit, quam errori ſuo magis fauere intellexerit. Id quod hoc tempore, ubi præterquàm plurimas ueteres, tot penè extant nouæ Bibliorum uerſiones, aut peruerſiones uerius, quot Hæreticorum Sectæ, longè erit facilimum.

IIII. Hæc

Digitized by Google

IIII, *Hæc autem æditio noſtra hac ætate, & multo etiam ante,apud Latinos eſt uetus uulgata,quæ alio nomine appellatur* Hieronymiana: *propterea quod* D.Hieronymi *opera ex* Hebræa *facta ſit* Latina:*idq; tanta fide, induſtria,ac ſtudio,ut* Græci(*homines alioqui ſupercilioſi,&* Latino *nomini ſatis infeſti*)*non dubitauerint eandem* Græcè *reddere : quemadmodum idem* Hieronymus *in apologetico contra* Ruffinum *difertis uerbis teſtatũ id facit.*

V. *Sunt,qui hanc noſtram æditionem ex duabus conflatam exiſtimant: hinc quidem ex* Hieronymiana, *inde uero ex altera quadam peruetuſta, quã ipſi ſeptuaginta* Interpretum *uocant.Sed ſanè falluntur hac in re nõ parum: nuſquam enim noſtra*(*in ijs præſertim,quæ alicuius ſunt momenti*)*à cõtextu* Hebræo *recedit , à ſeptuaginta autem in quàm plurimis.* De *ueteris* Teſtamenti *æditione nobis hic eſt ſermo:nam nouum* D. Hieronymus *Latinè non expoſuit ,ſed tantum ad exemplaria* Græca *correxit.* Sicut *&* Pſalterium *quoq;,cuius, & nunc,& iam olim frequens uſus eſt in* Eccleſia *Latina.*

VI. *Ante hanc porrò celeberrima in* Eccleſia *erat ſeptuaginta* Interpretum *expoſitio.* In *Græca quidẽ Græca,in Latina uero Latina,ex Græca ad uerbum propemodum expreſſa : qua etiam uſi ſunt* Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus,*& multi etiam alij,qui partim ante ipſos,partim poſt ipſos in* Eccleſia Catholica *uixerunt, & ſcripſerunt.*

VII. *Diui* Gregorij *ſæculo utraq; uſum obtinebat,et hæc ipſa,&* Hieronymiana *quoq;,quam proinde ſolam* SS. *Synodus* Tridentina *abſolute authenticã eſſe uoluit, ait enim:* Inſuper *eadẽ ſacroſancta* Tridentina *Synodus conſiderans,non parum utilitatis accedere poſſe* Eccleſiæ Dei,*ſi ex omnibus* Latinis *æditionibus,quæ circũferuntur ſacrorum librorũ,quænã pro authentica habenda ſit,innoteſcat:ſtatuit,& declarat,ut hæc ipſa uetus, & uulgata æditio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa* Eccleſia *probata eſt, in publicis lectionibus,diſputationibus,prædicationibus, & exercitionibus pro authentica habeatur,et ut nemo illã reijcere,quouis prætextu audeat,uel præſumat.*

VIII. *Cur non alias etiam recepit ? Nullas, quæ modo* Catholicorum *eſſent,damnauit:atq; ideò reliquas omnes orthodoxorum ad uberiorem,illuſtrioremq; huius unius expoſitionem permiſit : ſed interim unam hanc in fidei controuerſijs,irrefragabilis authoritatis eſſe uoluit,& id meritò .* Vt *quæ una nulla alia extet, aut exactior, aut diuturno uſu receptior, aut locupletior,aut incorruptior:utpote ab incorruptiſſimo, & in utraq; lingua exercitatiſſimo uiro ortum ducens.* Ec *quid enim ſunt* Monſteri, Pellicani,*& alij eiuſmodi nuper nati* Theologi, *ac* Bibliorum *interpretes cum beato* Hieronymo *collati?*

IX. Sed

IX. Sed quid opus eſt hic uerbis, uel inuiſis comparationibus? Aut hæc noſtra æditio, in ijs præſertim, quæ mores, uel fidem concernunt ( nam de cucurbita, uel hedera Ionæ, de ulcere Ezechiæ, de coruo ad Arcam redeunte, uel emanente, alijsq; ſimilibus minus hic nobis laborandum cenſeo) aut, inquam, hæc noſtra æditio falſa eſt, aut uera: nõ falſa, cùm iã ante oſtenſum ſit Eccleſiã in fidei, & morum quæſtione errare non poſſe: Si uera eſt, cur ergo cùm, & antiquiſſima, & à ſanctiſſima uiro, & Theologo maximo orta ſit, præ cæteris omnibus non admittatur?

X. Dices forſan, cùm Auguſtinum, & alios ueteres Theologos, tum ipſum quoq; Hieronymum fontes ſubinde adeundos, & conſulendos eſſe alicubi admonere? Rectè hoc illi, tametſi diſpar huius, & illius ſæculi ſit ratio. Nam tempore Hieronymi, & Auguſtini fontes adhuc puri decurrebant, aut certè puriores, quàm hac ætate. Nec erat tunc una communis Latina, ut modo, ſed multæ, eædemq; pleriſq; in locis admodum mendoſæ: utpote partim ex ſeptuaginta, partim etiam ex alijs conflatæ. Vnde quoties D. Hieronymus editionem Latinam inter commentandum taxat, non taxat hanc, quam ipſe cuderat, ſed eam, quæ ſua ætate in uſu erat. Quanquam ne hoc ipſum quidem iuſtè ſemper, ut ipſe tandem re melius conſiderata agnouit.

XI. Sed & nunc quoq; fontes adire, & conſulere licet, modò tamen aditio illa noſtra, & conſultatio eò temeritatis non progrediatur, in ijs præſertim, in quibus morum, uel fidei quæſtio uerſatur, ut uulgatam, & Synodi Tridentini calculo, uti authenticam, iam approbatã æditionem, ad exemplaria Græca, Hebræa, uel Chaldæa, emendare uelimus. Nam hæc emendandi prouincia, homini priuato nullo modo permitti debet.

XII. Secundum hanc Latinam, & uulgatam æditionem, primas in Eccleſia Chriſti ſemper obtinuit ſeptuaginta Interpretum. Nam etſi Hebræa multò hac ſit antiquior, hæc tamẽ poſt Chriſti Seruatoris noſtri ortum ſemper habita eſt anguſtior. Vnde quoties Apoſtoli, uel Euangeliſtæ, aliquod ex ueteri Scriptura teſtimonium proferunt, ſemper ferè ſecundum ſeptuaginta Patrum interpretationem illud proferunt: uix unquam uerò iuxta Hebraici contextus παραλήθεαρ.

XIII. Sed obieceris hic, & quidem meritò obieceris: Fidi interpretis eſt nihil eorum omittere, quæ habentur in prototypis, nihil mutare, nihil de ſuo addere, ſeptuaginta autem Interpretes, quædam eorum, quæ in prototypis habebantur, omiſerunt, quædam rurſum mutarunt, & nonnulla deniq; ex proprio adiecerunt?

XIIII. Inficiari non poſſumus, quædam Trinitatis myſteriũ, et Chriſti

G Domini

Domini noſtri Oeconomiam, & alia præterea nonnulla his non abſimilia præterijſſe: at hoc non malo dolo, aut Scripturas adulterandi propoſito, ſed ueræ pietatis ſtudio: ne uidelicet altiſsima illa religionis noſtræ myſteria à Gentibus, quibus ipſi æditionem Græcam moliebantur, ludibrio haberentur. Quæ autem addiderunt, ea ſenſum non mutant, ſed illuſtrant, atq; explanant. Quæ demum aliter uerterunt, ea etſi ſecundum literæ ſuperficiem à prototypis nonnihil recedere uideantur, ſecundum ſenſum tamen myſticum, & ſecundariò à Spiritu ſancto intentum non recedunt. Vellicat in his quædam Hieronymus, ſed ea aliter legebantur in exemplaribus, quibus ipſe uſus eſt, quàm modo in noſtris. Vnde librarios inſimulare debuit hic iuſtius, quàm ſeptuaginta Interpretes.

XV. Inſtas denuò ſi proba erat ſeptuaginta Patrum æditio, quorſum D. Hieronymus meditatus eſt aliam? Id ideò, inter cætera, fecit, quod illa, quæ ſua ætate ſeptuaginta nomine circumferebatur, erat ualdè deprauata, obſcura, & mutila: tum etiam, quò Iudæis ſimul & Græcis omnem omnino cauillandi, nobiſq; inſultandi occaſionem adimeret. Poterant hi enim, uel illi malitioſè cauillari, hoc, uel illo modo extare, uel non extare in contextu Hebræo, uel Græco: ut nunc Sectarum magiſtri, ſi quando cum linguarũ rudi certamen ſuſceptum ſit. Rurſum Latinos nihil habere proprium, ſed omnia mutuò, & quaſi precariò accepiſſe ab alijs. Tum demum, quò ſumptuum, et laborũ partem præcideret ſacrorum ſtudioſis. Nam ante hanc Hieronymianam æditionem, qui ueram ſententiam ubiq; eruere, uel aſſequi uellet, multas conſuleret neceſſum erat.

XVI. Vrges tertiò, & poſtremò: non ſolùm in ſeptuaginta æditione accidêre, quæ paulò antè exponebantur, ſed nonnulla quoq; eius generis in noſtrã uulgatam irrepſiſſe deprehenduntur? Nam hic etiam perperam interdum citatur Propheta pro Propheta, tempus pro tempore, locus pro loco: quemadmodum non uno id loco apud Euangeliſtas eſt uidere?

XVII. Ad hoc reſponderi poteſt, id nõ Scriptorum, uel interpretum, ſed librariorum uitio accidiſſe: mox idem quandoq; à diuerſis exponi. Hinc non id ſemper referri, quod rei geſtæ ſeries exigebat, ſed quod ab alio relatum eſſet conſtabat. Id quod uiri eruditione, & ſanctimonia clari, cùm alibi non infrequẽter, tum maximè in prolixa illa B. Stephani oratione uſu ueniſſe
Actor. 7. opinantur. Poſtremò Spiritus ſancti diſpenſatione, aliquid intendum omitti ab uno, quod poſtrà expletur ab altero.

XVIII. QVAERI hic etiã ſolet, & iurè quæri poteſt, totúmne illud, quod in ſacris libris continetur, ortum ſit à Spirituſancto, an quædam etiam

Digitized by Google

etiam effluxerint ex ſpiritu humano? Ad quod breuiter citra ullam, aut digreßionem, aut diſputationem reſpondendum exiſtimo, quicquid ſacrorum librorum authores ſcripſerunt, id totum certa quadam diuini Spiritus ope, & χειραγωγία ſcripſiſſe, nihil autē omnino ſpiritu prorſus humano. Nam etſi ſpiritus humanus interdum non erret, errare tamen poteſt. Scriptores autem ſacri, nec errant, nec errare poſſunt. Vnde nullam falſitatem hactenus in diuinis Scripturis deprehenſam legimus.

XIX. Præterea ſi ſemel admiſſum fuerit, hoc, uel illud ſpiritu humano ſcriptum eſſe, totius ſtatim Scripturæ eneruetur authoritas, neceſſum eſt. Dicerent enim aduerſarij, ubi primum Scripturæ alicuius authoritate grauius urgeremur, id ſcriptum eſſe ſpiritu humano, non diuino. In idem incommodū incidas, oportet: ſi in minimis quibuſdam, uel leuibus proprio ſpiritu ductos eſſe, aut duci potuiſſe dixeris, in arduis autem, & difficilibus non item. Statim nanq; Antagoniſta hoc, uel illud, quod ipſe ſibi donari cupit, minimum eſſe cauſabitur, etiamſi permagni ponderis illud fuerit. Denum ſi in ſacris, alia diuino, alia uerò humano ſpiritu ædita, ſtatuatur, in hiſtorijs difficilimum erit diſcernere, hócne, uel illud humana ratione æditū ſit, an diuina.

XX. Verumenimuerò licet nulla pars librorum ſacrorum ædita ſit ſpiritu purè humano, non omnia tamen ædita ſunt, ex peculiari Spiritus ſancti reuelatione. Multa enim ſcripſerunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ, quæ ipſi per ſenſum comperta habebant, uel fida relatione didicerant. Sed hoc interim non obſtante, quicquid illi ſcribebant, id certo quodam Spiritus impulſu, & aßiſtentia ſcribebant. Cuiuſmodi præſidio illos etiam in partē uſos fuiſſe credibile eſt, qui ſacras literas ſyncerè, ac candidè interpretati ſunt. Nam etſi tales non habuerint ſpiritum Propheticum, habuerunt tamen quiddam huic Spiritui cognatum.

XXI. Cæterum cum D. Paulus appellat quædam ſua, quædam uerò Domini præcepta: non eſt id ita accipiendum, quaſi quædam inſtituerit ſpiritu merè humano, diuino hinc prorſus ſecluſo: quædam uerò Spiritu ſimpliciter, & abſolutè diuino: ſed hoc ſolùm inſinuat, non omnia, quæ præcipiebat, uel ordinabat, ordinanda, uel præcipienda à Domino accepiſſe: ſed quædam etiā authoritate Apoſtolica, qua fungebatur, inſtituiſſe. Et hæc de Scripturis, earumq; auth. & legit. interpret. LAVS DEO.

Sub præſidio Theodori Peltani, Doctoris Theologi, publice defendit egregiæ eruditionis, & pietatis vir, M. Sebaſtianus Hoiandus, ſacræ Theologiæ Baccalaureus, nec non Eccleſiæ Collegiatæ apud VVolkenmarkt Canonicus, &c.

Sect. 1. Theſis 10. lege veteris 7. Teſt. noui totidem. Sect. 8. The. 10. Chriſti iam conuerſos. Sect. 9. The. 12. ſententium. Sect. 10. The. 7. expoſitionibus.

Digitized by Google